


R M K III.

1410



ZAKTH. 1410.

Seljs.

*P.*  
GYMNASMA  
ARGENTORATENSE  
*1733*  
DE  
PRÆCIPUIS RE-  
QUISITIS  
CONSILIARII  
CONSCRIPTUM

à  
BALTHASARO FRISOWITZ  
N. UNGARO.

*Bald. in L. cum multa 7. C. de bon.  
qua lib.*

CONSILIARI<sup>I</sup> dicuntur Principi  
inhærere, sicuti stellæ fir-  
mamento cœli.

Pol. g.

752.

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS REPII.

ANNO M. DC. XXVII.



1730

VIRIS  
MAGNIFICIS,  
GENEROSIS, ET AN-  
TIQUO STEMMATIS SPLEN-  
DORE, VIRTUTUMQUE HEROICA-  
RUM DECORE NOBI-  
LISSIMIS,

DN. STEPHANO SOOS.

DN. BENEDICTO GYVRKI.

DN. FRANCISCO RADWANSKI.

DN. MELCHIORI OSTROLVTZKI.

## COMITATUS ZOLIENSIS

Firmissimis Columnnis, Mæcenatibus,

Favitoribus, æterno observan-  
tiæ cultu prosequen-  
dis.

S. P.



Nter omnes vita ne-  
cessarias disciplinas,  
Viri Magn. Generosi,  
Nobiliss. principem  
m vendicat POLITICA,  
): ( 2 11-

## EPISTOLA

Albert. ut potè quæ est architectonica o-  
Magn. in mnium artium mechanicarum,  
Ethicis: & doctrinarum moralium: cuius  
lib. 7. c. 8. pars haud postrema est, quæ de  
**CONSILIARIIS** Principum  
corumq; requisitis tractat; qui eum  
Cals. in catal. glo. mudi par.  
10. cōf. 2. 4. ita decorare putantur, ut splendor  
firmamentum. Hujus studii soli-  
diorem & profundorem cognitionem,  
quâ curâ per Dei Ter. opt.  
max. clementiam, & ingenii fa-  
cultyatem haurire conatus fuerim,  
ipse mihi sum conscius; considerans  
primariò, patriæ cui vitam debe-  
mus, futuro tempore (si quâ me  
proficiisci potuerit) utilitatē: fami-  
liæ residuae expectationē, & ita me  
salus amet, salutem generis huma-  
ni. De aliis studiis nihil dicam, quæ  
vel hic continuè in Collegiis priva-  
tis, vel olim in Acad. Viadrinâ tra-  
ctavi,

Proem.  
Instit. de  
Exc. Tit.

Lips. in  
Pol. de  
confilio &  
forma  
sui ope-  
ris.

## DEDICATORIA.

et avi; quorum pragmamenta ad  
Vos, Viri Mag. & Gener. pervenisse  
non ambigo. Nunc novum Politi-  
ci & Eloquentiae studij specimen  
non in consultum visum mihi in  
publicū edere; Orationem nēpe de  
**CONSILIARIIS** precipuis Requisi-  
tis, cuius jucundissimā & scitu ne-  
cessariam materiam, quæ sparsim  
apud primarios illos & gravissi-  
mos Politicos, Lipsium, Rodinum,  
Tholosanum, Schönbornerum, Ke-  
kermannum, Besoldum, Chokierū,  
Contzium, & alios latitat, ut in  
locos communes cōferrem, me mo-  
vit. Igitur ut cum fructu tempus  
in otio meo (quomodo in otio quod  
maximè negotiosum fuit?) utili-  
ter consumerem, spretis aliis volu-  
ptatibus, in queis nimiopere pluri-  
mi malefici alluduntur, capi

( 3 perti-

## EPISTOLA

pertinaciter animū occupare sub-  
cisivo illo tempore legendis ac per-  
volvendis meis Politicis & Histo-  
ricis. Quid melius potui quam tot  
Lipſibid. sententias in unum corpus condu-  
cere pulchras, acres, graves, & ad  
salutē natas generis humani? Ve-  
stro nomini, Viri Magn. & Gene-  
rosi, huncce meū conatū inscriben-  
dū non immerito duxi, neg, aliter  
debui, sive materiā considerem, si-  
ve Vos, sive me ipsum. Materia &  
augusta planè est, & talis qua pro  
fundamento sit toti prudentia Ci-  
vili. Vos autem tali materia ma-  
ximè digni, quorum in capiendis  
Consiliis Prudentia, non solum in  
Comitatu nostro Zoliensi, sed & a-  
pud alios spectatur & celebratur.  
Me deniq, quod attinet, debebam  
omnino Vobis, hoc mei erga Vos  
grati

## DEDICATORIA.

grati affectus testimonium, quod  
tanquam chirographum bona fide  
scribo, dum considero Amicitiam  
illam (omitto vicinitatem) quam  
Vos cum Parente meo, pia memo-  
ria, à prima notitia non excoluistis  
solum, sed adejus extremum usq,  
halitum sanctè conservastis, ac  
tandem in sepulchrum Vestra  
honorifica presentia concomitari  
& ob ejus præmaturum, heu! ni-  
mis mihi præmaturū obitum, no-  
biscum heredibus, condolere non  
neglexistis. Cœcurrit deinde Ami-  
citiacum Germano meo natu ma-  
ximo Iohanne, prob dolor etiam  
præmature defuncto! qui heredi-  
tario jure nomine & re vobiscum  
Viri Mag. Generosi, continuare  
studuit mutuam propensionem,  
quam & Vos pristino modo obser-  
vasse

## EPISTOLA

vâsse nullus dubito. Essent & alia plurima Vestri erga familiam meam amoris argumēta, qua singularim describere, non quidem mihi molestum, sed vobis fortè superfluum videbitur. Quare sufficit, me illa in mente mea reposta babere, & aliis sapissimè prædicare. Cum igitur hactanta sint, quāta certè sunt, & sciam magnifica de vestro affectu, nec ignorē multa de multiplici cum Meis supra dictis familiarī colloquio, mei maximè interest, ut eam sinceritatem, quae à Parēte, à Fratre, nobis heredibus, in primis mihi (qui amula virtute successor esse debeo) testamento quasi legata videtur, amplectar, observem, & quo ad ejus fieripoterit, donec mesinet ille aeternus, aeternūm continuem, atqz vos

## DEDICATORIA.

vos orbatus jam Patre, Fratre, Patronorum & Promotorum loco habeam. Accipite itaqz hunc ingenii mei partum Politicè Oratorium, capite, inquam, quasi animum animi mei, quem vobis perpetuo addico. Habete me vobis commendatum, atqz eā, quā erga Parentem, erga Fratrem affectione & admiranda benevolentia fuistis, me quoque complectimini, hoc omnium observantia oro & obtestor. Quod residuum est, ab Opt. Max. Jehova, intimis meis ex opto votis, ut Mag. Gen. vestras, in hac omnium rerum tempestate & mira confusione, violentaque pestilentiæ & vitiæ tutos & incolumes cum universâ familiâ conservare, & largo misericordiarum suarum fonte irrigare clementer dî-

: ( 5 gne-

EPIST. DEDICAT.


gnetur. Scribebam Argentorati  
in Museo magni illius Historici  
Sleidani: Calend. Septemb. Anno  
à natali Jesu Christi post millesi-  
num sexcentesimum vigesimo se-  
ptimo.

Vest. Mag. Generos.

addictissimus

BALTHASAR FRI SOVVITZ  
N. Ungarus.

CAN-



CANDIDE LE-  
CTOR SALVE.



Cio, Lector benevole, ve-  
rum esse illud Principis  
Poetarum Homerii:

Nemo hominum in terris vitio sine nasci-  
tur usquam. Eliad.

Vnde Socrates dicebat, nullum esse o-  
pus, in quo non accusentur homines. Xenoph.,  
Difficile namq; est, ita quidquam per- lib. 2. de  
agere, ut nihil erres: quod si etiam fact. &  
sine errore quisquam aliquid pera- dist. So-  
gat: difficile est non iniquum judicem crat.  
reperire. Vereor ergo ne id ipsum mibi  
contingat. Vides namque præsentem  
meum conatum Academicum, qui tibi  
brevem & methodicam synopsin  
de præcipuis Consiliarii requisitis ex-  
hibet: vides certè, nescio vero quibus  
oculis. Materia cum satis sit plena,  
quid judicabis? verba: judica, sed at-  
ten de quomodo: Non enim sunt verba  
captanda, inquit Paulus, sed animad-  
1. penulti-  
ff. ad Ex-  
hibend.

vertendum qua mente quid dicatur.  
 Quare si quid erit quod tibi non arri-  
 deat, erit, ut spero, adhuc non nihil,  
 à quo non planissimè abhorrebit. Nam  
 sicuti in bona segete, ut Varro scribit,  
 nullum non spacium malum invenias,  
 ita & in mala aliquid bonum. Adeo qz  
 sicubi in unam aut alteram materi-  
 am incideris, affectus tuos frenis co-  
 bibe, nec statim omnia proba, aut et-  
 iam damna, sed judicium tantisper  
 suspende, usqz dum Consiliarium cum  
 requisitis legeris & intellexeris, atqz  
 Celsi excelsò ingenio Iuris Consulti re-  
 gulam memoriam subinde repece, quā  
 incivile esse dicebat, nisi tota lege per-  
 fecta, unā aliquā particulā ejus pro-  
 posita judicare vel respondere. Quod  
 si verò præter omnem mēā expectatio-  
 nem ex tam variorum authorum ar-  
 gumento, offensicula in animum  
 irrepserint tuum, etiam tunc huma-  
 nitati quā oī aliquid tribue, & meū  
 conatibus ad majora properantibus  
 fave. Reperies namque summo studio  
 pro ingenii facultate, ex insigniori-  
 bus

bus & appositis sacræ pagina, legum-  
 que humanarum, civilium, & ex o-  
 mnium gentium receptionibus mori-  
 bus, usu recentiorum & priscarum  
 Rerum publicarum, nationum, princi-  
 patuum, societatumqz probatarum  
 institutis, & historiographorum ve-  
 rioribus narrationibus, præstantiorū  
 virorum, Heroum strenuis & sapien-  
 tibus factis aut dictis, eventu & suc-  
 cesso illorum, collecta, & in unum  
 hunc quasi fasciculum comportata:  
 Ita ne aliorum labores exscriberem,  
 sed ex optimis optima quaque exacer-  
 perem, adjecto fideliter in margine  
 cuiusque authoris nomine vel loco.  
 Tuum erit, Lector candide, siquæ ad  
 gustum tuum scripsi, eo animo, quo ti-  
 bi datur, accipere & boni consulere; si  
 minus, favore & candore defectum  
 supplere & benè sentire ac igno-  
 scere. Vale.

MAT-

MATTHIAS  
BERNEGGERUS,  
ARGENTORATENSIS  
ACADEMIAE PROFESSOR  
PUBLICUS,

*Studioſa Juventuti S.P.D.*




Vod sive Aristippus, seu Agesilaus, sive Leotychidas, aut alius quispiā, (pluribus enim tribuitur) interroganti, quānam potissimum ingenuis adolescentibus descendat, respondit: ea que prodeſſe queant virilem atatem affectus, ut est apud Laertium & Plutar-chum: quodque Spartanis idem Plutar-chus in Lycurgo tribuit, literas eos ērav-tūs ἔχειος, ad Uſum tantūm didicisse, id cūm aliis, tū iis in primis observandū, imo servandū est, quos nataliū splendor, & sua fuorumq; expectatio, Reipub. in partibus sibi concreditis administrandæ destinavit. His enim talib; us οὐ ματαιοτολ; tantō fugienda magis est, amplectendum contrā (quod à Diogneto se didicisse, Imp. Marcus Antoninus apud Suidam ait) τὸ ἀκροωτόδος, hoc est, studiorum inutilem contemptus, quātō gravius onus est quod olim subituri sunt, quantoque propera-re ma-

re magis oportet, ne occupatos in ster-nendā politicam ad vitam viā, aut studiis instituto suo vitæque generi parum convenientibus impeditos, senium occupet. Ex eo porrò studiorum genere, quod Politicæ vitæ stadium cursus præcipue cōvenit, omniū confessione Politica ipsa primum est, & eidem ἀντισέφυσα Historia. Nam, quod Sociatē dixisse ferunt, esse vehementer absurdum, quum artes sedenterias nemo profiteatur absque de-decorē, qui eas non didicerit: neque quisquam scrinium faciundum locet ei, qui sit illius opificii rudis, ad publicos magistratus admitti, qui nunquam dederunt operam huic disciplinæ, fine qua nema reētē magistratum gerere potest. Deinde, necessaria non minus est Eloquētia. Nam, uti Thucydides ait, ὁ γνῶν καὶ μητοφθα διδάξεις, εὐτοπεῖ καὶ μη ἐνθυμηθεῖ: licet quis optimè sentiat, id vero in medsum aptè proferre nequeat, perinde est ac si nihil intelligat. Quo nomine idem autor Pe-riclem, principem in Atheniensi Repub. virum, commēdat, ὡς καὶ διὸν οὐκοτα γνῶνει τε τὰ δέντα, καὶ ἐμπνεῦσα ταῦτα: ut ne-mine inferiorem, & intelligendo qua in rem sint; & oratione explicando illa qua animo conceperugerebat. Hæc animo ver-sans, Genere, Ingenio Virtutéque Nobiliſſimus Dn. BALTHASAR FRI-SO WITZ, Vng. ex quo tempore cūm beni-

benignioris naturæ ductu, tum suorum  
hortatu, Civilis vitæ genus olim suscipe-  
re, & in mediâ Reip. luce versari consti-  
tuit; ad hunc ipsum tendentia scopum ista  
duo, quæ dixi, studiorum genera, & eò du-  
centia, præcipuâ curâ sibi tractanda puta-  
vit haec tenus: neque præclarissimos cona-  
tus fælix successus destituit. Egregia spe-  
cimina hoc confirmant, quæ pridem &  
apud alios, & proximo hoc anno, eoque  
amplius, apud nos, cum in publicis atque  
solennibus Academiæ congressibus, tum  
privatis Collegiis, Iuridicis tribus. His-  
toricis item duobus, magno cum applausu  
bonorum atque doctorum edita, omnes  
qui de ingeniis judicare norunt, in spem  
certissimam erigunt, ab hoc exempli ra-  
rioris ingenio fructum magnum ad Pa-  
triæ Rempub. seu ad quamcunq; se de-  
derit aliam, esse redundaturum: si modò  
sint (& verò futuros non dubitamus) qui  
nobiliorem hanc stirpem attolere, fove-  
re, & ad publicum bonum (ita natus est)  
dirigere volent. Nam Plinii judicio, *Nul-  
li cuiquam tam clarum ingenium est, ut  
possit emergere, nisi illa materia occasio,  
fautor etiam commendatorque contingat.*  
Ac in Politicâ quidem scientiâ quid præ-  
stiterit, abhinc trimestri, suâ doctissimâ  
Disputatione de Nobilitate, cùm scriptâ  
proprio Marte, tum publicè cum admira-  
tione defensâ satis abundè demonstravit.

In

In Oratoriâ verò quantum profecerit, lo-  
quuntur Orationes pereruditæ, quas in  
Academîa Francofurteni Viadrinâ publi-  
cè duduin habuit, & nobis legere conti-  
git: una de *Virtute Principiū*: altera de  
*Injustitia & Clementia temperamento*.  
Nunc etiam in hac nostrâ suas in arte di-  
cendi periclitari vires statuit, horâ octa-  
vâ, die Lunæ proximâ, cum Deo, publicè  
recitaturus Orationem de *principiis boni  
Consilariis Principiis requisitiis*, quæ qua-  
si synopsis est ex erudito, quod hoc ipso  
de argumento, ex bonorum autorum sci-  
tis concessit, Academico Gymnasmate,  
quod nunc sub prælo typographicò ge-  
mit. Elaboravit ille quidem aliam etiam  
Orationem de *Amicitia perfectâ*: quam  
tamen cùm ob inopinum discessum, uti  
constituerat, publicè recitare non possit,  
& ipsam typis exscriptam brevi dabit. In-  
terim ad priorem illam attentè ac bene-  
volè audiendam, perendie, initio statim  
octavæ horæ quam dixi, (ne scilicet more-  
mur alium congressum Academicum ad  
horam sequentem nonam indicatum) ut in  
Auditorio majore, præstò esse dignemini;  
& Nobilissimum declamatorem, ex hac  
Academîa, cuius egregium haec tenus fuit  
ornamentum, ad patrios lares propediem  
reversuru, plenis omnine fausto votis necū  
unâ prosequamini, quanto possum opere  
rogo. Valete. P.P. Argentorati, Calendis  
Septembribus anni Christiani 1627.


**ELENCHUS PRÆ-**  
**CIPUORUM AUTHO-**  
**RUM QUI ALLE-**  
**gati sunt.**

<i>Accius.</i>	<i>Bias.</i>
<i>Aelius Lampridius.</i>	<i>Bodinus.</i>
<i>Alb. Magnus.</i>	<i>Bonfinius.</i>
<i>Alexander ab Ale-</i> <i>xandro.</i>	<i>Borbonius.</i>
<i>Aldstedius.</i>	<i>Camerarius.</i>
<i>Ambrosius.</i>	<i>Capitolinus.</i>
<i>Amiratus.</i>	<i>Chassanens.</i>
<i>Ammianus Marcellinus.</i>	<i>Cato.</i>
<i>Andreas Rey.</i>	<i>Christostomus.</i>
<i>B. Anshelmus.</i>	<i>Christophorus</i> <i>VVarsoffitz.</i>
<i>Antonius Gvvara.</i>	<i>Cicero.</i>
<i>Antonius Menavius.</i>	<i>Claudianus.</i>
<i>Antonius Panormitanus.</i>	<i>Contzius.</i>
<i>Appuleius.</i>	<i>Cromerus.</i>
<i>Aristoteles.</i>	<i>Cuspianus.</i>
<i>Arnoldus Clapmar.</i>	<i>David Psaltes.</i>
<i>Athenaeus.</i>	<i>Demosthenes.</i>
<i>Augustinus.</i>	<i>Dio Cassius.</i>
<i>Aventinus.</i>	<i>Dionisius Halicarnassus.</i>
<i>Bartholomaeus Philippius.</i>	<i>Dio Prusaeus.</i>
<i>Besoldus.</i>	<i>Diodesius Siculus.</i>
	<i>Erasf-</i>

<i>Erasmus Roterdamus.</i>	<i>Iohan. Sambuccus.</i>
<i>Eunapius.</i>	<i>Iosephus.</i>
<i>Euripides.</i>	<i>Iocrates.</i>
<i>Ensebius.</i>	<i>Iulius Caesar.</i>
<i>Europius.</i>	<i>Iustini Codex.</i>
<i>Franciscus Patri-</i> <i>cius.</i>	<i>Digesta.</i>
<i>Franciscus Petrar-</i> <i>cha.</i>	<i>Iustus Lipsius.</i>
<i>Fridericus Fur.</i>	<i>Isdenalis.</i>
<i>Ceriolanus.</i>	<i>Keckermannus.</i>
<i>Gellius.</i>	<i>Kirchnerus.</i>
<i>Georgius Richte-</i> <i>rus.</i>	<i>Lachantius.</i>
<i>Hænonius.</i>	<i>Laertius.</i>
<i>Henricus Barne-</i> <i>sus.</i>	<i>Lampridius.</i>
<i>Henricus Stephanus.</i>	<i>Langus.</i>
<i>Heraclitus.</i>	<i>Leo Imperator.</i>
<i>Herodotus.</i>	<i>Lenccius.</i>
<i>Hieremias Setzer.</i>	<i>Libris.</i>
<i>Hippolitus à Collibus.</i>	<i>Lucianus.</i>
<i>Homerus.</i>	<i>Machaerillus.</i>
<i>Horatius.</i>	<i>Marcellinus.</i>
<i>Hieronymus.</i>	<i>Martialis.</i>
<i>Iacobus Cöcenatus.</i>	<i>Maximinus.</i>
<i>Iohan Baptista de Poreta.</i>	<i>Melchior Iunsus.</i>
<i>Iohan à Chokier.</i>	<i>Menander.</i>
<i>Iohan Harprecht.</i>	<i>Moysis libri.</i>
	<i>Muretus.</i>
	<i>Narses.</i>
	<i>Nazianzenus.</i>
	<i>Oftavianus Magus.</i>
	<i>Oforius.</i>


Ovidius.	Sidonius.
O Venus.	Sigeberthus.
Paulus Aemilius.	Sigonius.
Paulus Orosius.	Simplicius.
Petronius.	Socrates.
Petrus Bembus.	Sophocles.
Philostratus.	Statius.
Philippus Cominatus.	Stobaeus.
Philippus Melanchthon.	Strigelius.
Piccartus.	Svetonius.
Plato	Tacitus.
Plautus.	Terentius.
Plinius uterque.	Tholofianus.
Plutarchus.	Thomas Lantius.
Polybius.	Thucydides.
Q Curtius.	Tiraquellus.
Rafinesius.	Valerius Maximus.
Salomonis libri.	Vegetius.
Samuelis libri.	Virgilius.
Sallustius.	Volateranus.
Sausoërinus.	Xenophon.
Schönbornerus.	Zenocarus.
Scipio Gentilis.	Zimar.
Seneca uterque.	Zingerus.

IN-

I N D E X GENERALIS	
De Ingenio Consiliarij, pag.	12.
Ingeniosus quomodo cognoscatur.	13
Quali præsidio Corporis.	17.
Quâ formâ.	18.
Proceræ & mediocris Statura utilitas.	23
De Aetate Consiliarij.	33
De Doctrinâ.	42
Literarum encomium.	43
Theologicam Prudentiam habeat.	45
Calleat prud. Philos.	49.
Mathemat. Astronomic.	50.
Arithmetica. Geometr.	51.
Politicâ scientiâ sit imbutus.	53
Ethicam scientiam non ignoret.	54.
Iurisprudentiam teneat.	60
Historiarum cognitionem perspectam habeat.	65
In Eloquentiâ sit versatus.	74
Peregrinas invisat oras.	83
Exo-	

# I N D E X.

<i>Exoticas Linguas intelligat.</i>	91	
<i>Intelligat scientiam Bellicam.</i>	98	
<i>Regni &amp; populi statuta &amp; jura teneat.</i>	100	
<i>Sit Fidelis.</i>	108	
<i>Consiliarij infideles &amp; adulatores qui.</i>	114.	
<i>Sit Verax</i>	118.	
<i>Sit Constans.</i>	128.	
<i>Sit Mansuetus.</i>	135.	
<i>Sit Taciturnus.</i>	139.	
<i>Nesit nimis preceps.</i>	147.	
<i>Quando præcipitantia admitti- tur.</i>	157.	
<i>Vitabit</i> {	<i>Avaritiam</i>	161.
	<i>Iracundiam</i>	173.
	<i>Discordiam</i>	181.
	<i>Ebrietatem</i>	188.



# PROPEMATICUM.

**P** *Laudite Pannonis, piæ gens, contermina cælo,  
Atq; trucem contraturba parata Getam;  
Sistimus en! reducem vobis, e agraria lova est,  
HATRIS OVVITZIA DUM quis diadema nōsum.  
Hadrius is fuerat Musarum gnaüs vlysses:  
Credite, non semper ficta Poëta refert.  
Ludimus in Vanis: ubi res est seria, verum  
Promimus: Et proni sic in utroq; sumus.  
Vidimus hunc noctes conjungere sapè diebus:  
Vidimus; haud fuerat, cum fuit, ille domi:  
Artibus usq; adeò se tota mente sacrâvit:  
Nobilis ac ita fit Nobilis ille magis.  
Discite, vos religi, q̄eis sunt insignia Aevorum  
Splendida, q̄vōd Libris congerminetur honos.  
Qalem depingit, q̄vi C O N S I L I A R I U S audet,  
Talis erit N O S T E R: cætera F A M A canet.*

Nobilissimo Hospiti sub discessum,  
 quem Deus fortunet, L. Mq.,  
 posuit Hospes.

**I**OHNES PAULUS CRUSIUS  
 Argentoratenfis, in Patria Aca-  
 demia Professor Publicus.

ORAT.



ORATIO  
DE  
PRÆCIPUIS  
REQUISITIS CON-  
SILIARII, AD IMITATIO-  
NEM DISPOSITIONIS KE-  
KERMANNIANÆ, QUÆ EX-  
TAT IN COLLEGIO  
Oratorio.



Escio, Magnifice Do-  
mine Rector, Viri Re-  
verendæ dignitatis,  
doctrinæ liberalis ex-  
cellentiâ præclarissi-  
mi, virtutum eminentiâ splendidissi-  
mi: tuque floridissima juvenum  
Nobilissimorum atque lectissimo-  
rum corona: Nescio, inquam, quæ  
nos, quid dico nos? cur non addo o-  
mnes, vesania & ingratitudo occu-  
pet, ut tot tantaque Dei Ter. Opt.  
Max. erga misellum hominum ge-  
nus

A

nus

Momo  
conside-  
ratus Spi-  
ritualiter.

nus collata beneficia, neque noctes  
neque dies pensiculemus; cur ita  
torpeamus: cur non deprædicemus:  
cur non posteris commendemus.  
Ecce enim quām infinitē misericors  
est Deus saltissimus! Hominis sta-  
tum bipartitæ considerationis vo-  
luit, & quidem in sui gloriam, no-  
stram salutem. Si id scire cupis? con-  
sidera primò hominem spiritualiter.  
Magnum Dei beneficium est  
creatio, quā Deus res omnes crea-  
tas, tam visibles, quām invisibles  
sex dierum intervallo liberrimā o-  
ptimāque suā voluntate ex nihilo  
condidit. Magnum Dei beneficium  
redemptio, quā decrevit, ut univer-  
sum genus humanum verè redime-  
retur, atque per Christum cum Deo  
reconciliaretur. Magnum Dei be-  
neficium justificatio, quā contine-  
tur æternū propositū, ut omnes,  
qui pœnitentiam verè agunt, &  
Christum verā fide amplectuntur,  
justificati in gratiam recipiantur, &

in

in filios ac hæredes vitæ æternæ ad-  
petentur. Magnum Dei beneficium  
sanctificatio, quā fide justificatos in  
verā charitate sanctificare voluit.  
Magnum Dei beneficium remissio  
peccatorum, qua spes est vitæ æter-  
næ. Magnum ex prioribus proma-  
nans Dei beneficium vita æterna i-  
psa: ubi una erit omnium lingua, ju-  
bilatio indefessa, unus affectus, amor  
æternus; ubi patebit veritas, imple-  
bitur charitas, erit integra corporis  
& animæ societas, ubi fulgebit sicut  
sol humanitas gloriificata. Magna  
tandem & infinita alia ad hoc sunt  
Dei beneficia, de quibus hac vice co-  
piosius agere mei instituti non est.  
Considera iam hominem Politice: Politica  
Quantus quæso & quām amœnissi-  
mus hic decurrentis campus sese  
offert, si præcipua saltem attingere  
mihi animus esset? Imperas nationi-  
bus & regionibus variis? singulare  
hoc Dei omnipotentis beneficium  
est, quod per te imperium tempera-

re sapienter voluit: juris & quabilitatem colere: flagitorum coercere licentiam: excitare virtutis studia: ordinem in omni officio conservare. & Rempublicam excellentibus meritis obstringere: consulere patriæ: parcere afflictis: ferâ cæde abstinere: tempus atque irâ dare: orbi quietem, seculo pacem suo. Amplum sanè & illustre hoc munus est, quod sustines. Quid majus inter homines,

Plin. pa-  
negr. c. 4.

Lib. 3. de  
legibus.

lib. 1. po-  
lit. c. 3.

De clem.  
c. 4.

quām unū præesse pluribus: leges & iussa ponere: maria, terras, pacem, bella moderari. Idque adeò verum, ut Cicerone, illo Patre eloquentiæ teste, sine imperio, nec domus ullā, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus possit. Quippe regere & regi, non solum inter ea quæ necessaria, sed & utilia sunt, Aristoteles adnumerat. Ut verum ita sit, quod subtilissimus & sententiosissimus ille Seneca dixit: Quod imperium sit vinculum per

per quod Respublica cohæret: ille spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt: nihil ipsa per se futura, nisi onus & præda, si mens illa imperii subtrahatur. Subditus es? Deo creatori tuo infinitas gratias & laudes tribuas, quod Imperatorem regem- ve tibi dederit, sub cuius protecçãone & tutela vitam ducere, & negotiis præesse tuis, absque metu & periculo licet tutò. Ut verò dextrè imperetur, ut dextrè obsequium præstetur, in hoc me Hercules, multum est situm, & ex eo solo omnis vita politica dēpendet. Quare ex innumerabilibus aliis, illud jam persequar, quod non ex minimis mihi esse videtur. Quid vero illud? Consilio DEI datus Consiliarius. Salomone enim teste: Salus populi est in amplitudine Consiliarii. Salomonem si allego, allego talem, qui Rex fuit: sapientissimus, idemque Philosopher insignis, quippe cui nulla eorum artium, quæ ad res benè admittantur. In axiōm. polit. 105

strandæ pertinent, ignota fuit; qui plantarum etiam animantiumque naturas cæteraque Philosophiae arcana, ita exactè tenuit, ut admiratione scientiæ & famâ, omnia compleret: cui Deus aliquoties apparuerat, & in quo fuerat Spiritus sanctus.

In Catone  
Majore.

Lang. de  
Consilia-  
rio.

In Orat.  
ad Cæs. de  
Rep. or-  
dinanda.  
P.M. 127.

Quid Cicero inter Romanæ linguae Quirites elegantissimus? Non viribus, inquit, non velocitatibus aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio antiquorum & scientia. Quid Henricus Barnesius? Ars magna est imperii consilium, quod qui de Repub. tollit, quasi ex animo rationem tollit. Quid Sallustius nobilitatæ veritatis historicus? Ego inquit, multa legendō & audiendo ita comperi: omnia regna, Civitates, nationes usque è prospe- rum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt, ubicunque gratia timor, voluptas, ea corru- pere, post paulò imminutæ opes, deinde ademptum Imperium, postre-

mò

mò servitus imposita est. In mentem etiam venit illud tritum: Respubli- cæ tam diu florent & vigent, quam diu ibi floret & regnat sapientia & consilium. Ubi enim non sunt pru- dentia consilia, corruptus populus. Hoc ipsum Deus in Rebus pub. plurimis testatum esse voluit, dum quoties aliquam florere & eminere voluit, to- ties illi dedit viros heroicos & sa- pientes Consiliarios. Exempla de- sideras? Cape Davidi alias viro sancto & pio, qui à Deo ipso testimonio hoc ornatur: quod scilicet invenerit sibi Dominus virum juxta cor suū, dedit Deus Jesabeam, Eleasar, Abi- safi, Benajam, Asachelem, & alios sa- pientissimos viros. Salomoni adjun- xit sapiens collegium Prophetarum, & aliorum excellentium eruditione & pietate. Alexandro Magno tri- buit Clitum, Parmenionem, Seleu- cum, Ptolemaeum, Lysimachum, Craterum, aliosque viros, tam sa- pientes, quam fortes. Sic Reipub.

Prov. 11.  
vers. 14.

1. Paral. 12.

Richt. a-  
xion. Polit. 88.

Axiom.  
44.

Ibid.

Romanæ donavit Scipionem, Fa-  
bium, Marcellum. Reipub. Atticæ  
similiter dedit, Milthiadem, The-  
mистоlem, Aristidem, Cimonem,  
Cononem. Exinde jam appareat Cō-  
filiū sine Consiliario esse non pos-  
se, adeoque Consiliarii, apud Princi-  
pes & Reipub. magnam esse necessi-  
tatem. Nullum majus boni Imperii  
instrumentū inquit. Tacitus, quām  
bonus amicus, id est Consiliarius;  
qui non immeritò pacis decus voca-  
tur & cor principis & pars corporis

Vide meā  
disput. de  
nobilit.  
¶. 21.

principum, unum corpus cum prin-  
cipi constitutens: qui dicuntur prin-  
cipi in hærere sicuti stellæ firmamē-  
to cœli, atque eum ita decorare pu-  
tantur, ut splendor firmamentum.  
Quare ipsa boni Consiliarii requisi-  
ta pro ingenii facultate enumerare  
animum induxi, quæ ratione tem-  
poris habitâ sum recensurus, & bre-  
viter me expediturus. Tuam, con-  
cio veneranda, in audiendo benevo-  
lentiam, favorem & patientiam de-

mis-

missè, reverenter, obnixéque effla-  
gito. Unde verò exordiar? ubi inci-  
piam, Aud. omnis generis doctrinæ  
& virtutū laude cumulatissimi? idē  
mihi evenire sentio, quod virginī in  
amœnissimo horto spacianti, ac flo-  
res ibi decerpere cupienti. Quem-  
admodum enim illa concernens ibi  
variorum flosculorum genera, h̄ic  
Rosmarinum, ibi Amaracū, h̄ic vio-  
las albas, ibi nigras, h̄ic purpurei col-  
loris, ibi flavi, h̄ic rosas ibi betonicā  
& lilia varii coloris varia; nescit ta-  
men quonam ex genere prius decer-  
pere debeat: ita & ego videor mihi in  
amœnissimo Consiliarii horto jām  
obambulare, ubi flosculos seu virtutes  
multiplices ob oculos versari  
meos animadverto. Quocunque e-  
nim inspicio, mēque converto, nihil  
aliud quām Consiliarii virtutes sen-  
flosculos cerno: si hac respicio, oc-  
currit, ut de animi & corporis qualiti-  
tatibus internis: si illac, ut de doti-  
bus seu virtutibus externis dicam:

A s ne

necessio quid primo loco arripere, quid ad finem reservare debeat. Verum hoc faciam, & medio tutissimus ibo, si neque omnia, quis enim hoc vel possit vel ausit? recensuero, neque præcipua omisero. Quia itaque in principe, & natura & ars potissimum consideratur, cur non eadem consideretur in ejusdem Consiliario? Ut potè qui est pars corporis & cor principis. Ab his enim princeps habet prudentiam mutuatitudinē: hi sunt argi oculatissimi; hi instar Herculis sublevant principem tanquam Atlantem, & oneri succedunt: Hi sunt quorum prudentia sol Reipub. annum cursum conficit. Unde Plato princeps ille Philosophorum summam potestatem principis sine Consiliariorum ope, contulit diurno solis circulo. Tali verò Consiliarii corde languescente, tanquam parte in toto corpore principaliori, quomodo principatus cōsistet? quomodo principem admirabilem a-

pud

L. 5. C. ad  
leg. jul.  
majest.

Aldst. in  
Encyclop.  
lib. Polit.  
L. 4. 6.

prod omnes, quomodo formidabilem apud hostes faciet? quomodo fundamenta Reipub. stabilientur? quomodo conservabuntur? Ad naturam itaque primò omnium me convertam, & convertam ideo quia Deum conditorem rerum omnium, quieum similiter creavit, & ex ute-  
ro matris suæ deduxit, authorem ha-  
bet: quia Deum conservatorem,  
qui eum ab infantia, & primis cu-  
nabulis ad illam usque ætatem, ubi  
Consiliis præesse, & officio Consilia-  
rii honorifico fungi potest, conser-  
vavit: quia Deum propagatorem,  
qui ipsius tam conatibus, quam pro-  
gressibus spiritu gratiæ & benedi-  
ctionis, adfuit, eumque ad tam lau-  
dabile munus evexit. Sed inquires  
forsitan, quænam illa tanta & talia in  
natura admiranda? En tibi uno fa-  
sciculo omnia. Dona & bona sunt  
corporis, dona & bona sunt animi.  
In hoc enim omnes sapientes unani-  
miter ab imo ad summum, à summo

Natura  
Deo.

ad imum consentiunt, in eo perma-  
nent, quod ad quaslibet res opus sit  
Naturā & Curā; neque aliud quip-  
piam sit virtus; quām natura con-  
summata. Corporis enim atque a-  
nimi dispositio, benē ubi habet, o-  
mnia benē habent. Quin imò ita be-  
nē habent, ut nobile quippiam pa-  
riant. Benē itaque atque plusquam  
benē principi, qui Consiliarium,  
habet, talibus animi bonis, ingenio  
nempe & ratione præditum excel-  
lenti, quæ ei à natura sunt insita, quæ  
natura ei suppeditavit. Si si destitui-  
tur, Consiliarii nomen haud mere-  
tur. Necesse est itaque, & quām ma-  
ximè necesse, ut rationem pōst, Con-  
siliarius noster ingenio excellenti sit  
præditus primariò. Nam quemad-  
modum ingentia pondera quæ nul-  
lis hominū viribus elevari possunt,  
machinis facile tolluntur, ita quod  
alià s̄p̄ius ratione præstare neque-  
as, ingenio id citra magnum labo-  
rem efficias. Animi utique & inge-  
niū

nii, Tullio teste, celeres quidam mo-  
tus esse debent: qui ad excogitan-  
dum acuti, & ad explicandum or-  
nandumque sint uberes, & ad me-  
moriā firmi ac diuturni. Ingeniū  
verò stupidum, rude ac hebes, est in-  
star agri naturā sterilis; qui quamvis  
s̄p̄issimè colatur, tamen succum  
non habens, vel paucos, vel malos,  
vel immaturos fructus reddit. Sic  
ubi nullus ingenii vigor, nullumve  
acumen est, virtutis eximiae & præ-  
cellentis fructus, hādquaquam spe-  
randus est. Ingenio itaque Portia-  
no, in rebus tractandis versatili  
& indefesso Consiliarium nostrum  
esse convenit, qui tanquam odorari  
cuncta, eaque cernere ac feligere va-  
leat, qui consilium secundum cir-  
cumstantias aptare sciat. An autem  
Consiliarius noster ingenio prædi-  
tus sit, his triplicibus ex causis, ex di-  
ctis, ex factis, ex fronte præcipue co-  
gnoscitur. Ex dictis si omnia præ-  
meditatè loquitur, nec ut in prover-  
bio

Ingenio-  
fus di-  
gnosci-  
tur  
Ex dictis,

Ex Factis.

Epist. 39.

bio dicitur, os in lingua, vel os repletum vento habeat. Nunquam præclarum & illustre ingenium, vulgari omnium & humili modo loquitur, se se passum venditat, in sermone turpiter vacillat, vel male sibi constat. Ingeniosi enim qui sunt, solent esse in loquendo arguti, in respondendo prompti, in jocando gratiosi, nec facile exquirere materiam obtrectandi. Est siquidem signum vilissimi ingenii certissimum, male loqui de hostibus, de inimicis, de principe suo, vel alterius opinionis sectatoribus, vel nationibus exteris obtrectare. Ex factis, ut si intelligendo facilis sit, si in seriis cautus, si ardua sibi proponat. Neminem excelsi ingenii virum, inquit Seneca auctor gravissimus, humilia tantum delectant, & sordida magnarum rerum species ad se vocat. Nunquam talis autem servit populari, neque ad favorem vulgi loquitur, nec os habet aqua repletum, non est ulli molestus,

lestus, non stomachatur, non est confusus. Ejus opera sunt viva, sunt efficacia, assidue tale ingenium est occupatum, vult videre omnia, tangere omnia, prætermitti nihil, legit quām plurima, confabulatur cum omnigenere mortalium, scire avet præterita, intelligere præsentia, asequi futura, vel ipsa etiam conjecturā. Ex fronte, si quis est apertā & liberali, nō torva, non colonotū more delapsa, & tali, quam prolixius requirit Joh. Baptista de porta.

Lib. 4. c. 6.

Neque tamen sufficit. Consiliorum esse ingenio acuto, subtili, alacri, quo disputare magis & sermoncinari, quām suadere videtur, nisi etiam sit temperatum, quod rectā iudicij habeat normam. Ingenia namque nimis subtilia & ignea, que in assiduo motu versantur, novandis, quām gerendis rebus aptiora sunt: semper movent aliquid, & nec quieta ac tranquilla, quieta sinunt. Sed & in multiplici inventione ratio-

Lipf. ex Curt. lib. 3. Pol. c. 4.

916.

num-

Christ.  
Varsov.  
de Conci-  
lio & Cō-  
filiar.  
p. 24.Curtius  
lib. 4. c. 1.  
Thucyd.  
lib. 3.

in notis.  
p. 37.

Lib. 3.

nūmque copia plerunque natant, & ægrè expediunt quippiam cui insistant. Proponunt ea sibi quæ non sunt, nec erunt, & mentem consiliāque adversarii à subtili mente sua æstimat. Quæ Thucydides fusius ita exponit: quod acuti sapientiores videri & plura, quam quæ vulgo de Rep. consultari solent, incredibili cum incommodo civitatum nosse volunt, tanquam non in majoribus vires ingenii ostentare queant: habetiores autem diffisi suis ingenii, dum legibus se subjiciunt, dum recte suadentibus obrectare videntur, dum ex æquo judicare, quam verbis contendere malunt, prosperè plerumque res gerunt.

Fit præterea sæpè Dei (dona inter mortales sua partientis) voluntate. ut idem: quamvis excellenti & veloci ingenio prædictus vir non omni negotiorū generi aptus sit, neque satis feliciter sese variis hominum ingenii & studiis accommo-

dare

dare possit, cuius exempla Bodinus in Politicis & Lipsius in notis ostendit. Utrumque proinde in bono Cōsiliario exigi videtur. Marcus certe Cato talis erat, ut siarma sumpsisset; natum in armis crederes: si se ad studia convertisset; inter literas educatum dices. De eo Livius historiæ Romanæ scriptor Nobilissimus ita scribit: In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut quocunque loco natus esset, fortunam sibi ipsi faceretur. Et felicitate ingenii Athenodorus Stoicus, Augusto familiaris, igni similis esse dicebatur à Sallustio, propinqua omnia incendi, ob fervorem & successum in docendo & consultando, referente ex suida Zvvingero. L. etiam Syllæ, inquiete Sallustio, ad simulanda negocia altitudo ingenii incredibilis fuit. Necessarius principi talis Consiliarius etiam est, qui corporis præsidiis sit ornatus atque munitus exoptatissimis: quibus suum finem

&

Iugurth.  
c 95.

PRÆS L  
DIA COR  
poris.

Lib. 39.  
cap. 49.

Lib. 4. c. 1.  
& l. 5. c. 1.  
Ad lib. 3.  
Polit. c. 4.  
pag. 37.

Sanitas.

Octav.  
Mag. lib.  
z de le-  
gat.

Agilitas.

FORMA  
corporis.

& ea quæ ad finem respiciunt conse-  
quere valeat ac possit. Hoc sit, si est Sa-  
nus, quippe cum ei labores quam  
plurimi, & defatigationes in legatio-  
ne, aut in alia longissima expeditio-  
ne quotidiana obeundæ sint, & per  
longitudinem itinerum, asperitatē  
viarum, navigandi difficultatem, &  
quæ talia fieri inopinatè solent, illæ  
calamitates omnes perpetiendæ  
quæ sanè patientiam & benè consti-  
tutum corpus non morbo aliquo  
laborans Podagrico, vel Hæctico ex-  
igunt. Hoc sit, si Vegetus est & A-  
cris; per ea enim facile omnes mole-  
stiae, pericula omnia quovis tempore  
componuntur & flocci penduntur:  
Hoc sit, si Agilis est, qui præter ex-  
pectationem officium & negotium  
sibi commissum, citissimè expedire  
potest, & ad exoptatum perducere  
finem. Hoc sit, si ornamento natu-  
rali condecoratus est, nempe Forma  
Corporis eleganti, dignitati con-  
gruente, qui oris decus & elegan-  
tiam

tiam partiūque omnium justam  
proportionem & convenientiā ha-  
bet, non mutilatam aut aliquo vitio  
laborantem. Perfectū enim corpus,  
totū hominē, quantus quantus est,  
ornat, & apud omnes præsumtio est,  
in eleganti corpore elegantes virtu-  
tes inesse, ibique domicilium suum  
habere & habitare. Et persuasum est  
non solum vulgo, sed & prudentibus  
in elegantis corporis domicilio ha-  
bitare simul animum elegantem: at  
contrà sub deformi vultu latitare  
plerumque aliquem Thersitē: sum-  
mumque illum Architectum gene-  
rosis & excelsis mentibus hospitia  
præclariora constituere, haud secus  
ac comitiales metatores videmus, in-  
signiora civitatis palatia, & pulchrio-  
rate recta regibus & principibus desi-  
gnassè. Et naturā nobis datum est,  
ut corpore spectabiles diligamus &  
veneremur, propterea, quod pul-  
chritudo corporis reverendum quid  
& admiratione dignum continere  
vide-

Hier-  
mias Se-  
tzer de  
Consil. &  
Consil.  
ß. 193.Kirch. de  
legat, lib.  
I. C. 4, n.  
89.

Serim. 63.

Cic. 2.  
offic.

Lib. 5.

Laert. in  
Pythag.Paulus  
Aemilius  
lib. 3.

videtur, inquit Dio Pythagoricus apud Stobæum in sermonibus. Et sāne dignitas corporis, aptā compositione membrorum movet oculos & delectat, vel hoc ipso, quod omnes partes cum quodam lepore inter se consentiunt. Barbaris etiam hominibus, inquit Curtius, veneratio est in corporum majestate, magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia specie donare natura dignata est. Plena est omnium temporū historia hujus generis exemplis. Talis fuit Pythagoras, Philosopher acutissimus, qui tam erat formosus, ut eum discipuli opinarentur Apollinem esse, qui ex Hyperboreis venisset, cum nudatus aliquando esset, femur ejus aureum apparuisse fama est, teste Laertio. Talis fuit Carolus Magnus Imperator, qui statuā fuit eminenti, corpore ampio, membris congruentibus, facie pulchra, canicie reverendā yultu majestatis pleno, universa spe-

cie

cie augusta, qui haud dubia sane reliquit argumenta, tam præclaris tamque prædicandis & multiplicibus victoriis. Talis fuisse legitur Matthias Ungariae Rex inclytus, cuius statura corporis fuit aliquanto majuscula, quam mediocris, forma eximia: generosus aspectus, & multum referens magnanimitatis: rubens facies, & flava coma: cui venustatem obducta supercilia, vegeti & subnigricantes oculi, & sine menda nasus, ne mediocrem quidem cultū addebant. Legitur quoque talis fuisse Sigismundus Rex Ung fausto aspectu statura magna, pulchro corpore, quod augustæ multum referebat majestatis, crines aurei, crissip à juventute. Forma imprimis visenda & amabilis fuisse etiam ferunt inter Græcos Alcibiadēm, sicut inter Romanos Scipionem, Demetrium cognomento. Plutarchus in ejus vita, Hoc, inquit, Alcibiadi concessit natura, sibique cum paucis commune, ut

Bonfinius  
Decad. 4.  
1.8. p. 653.Idem  
Decad. 3.  
1.3. p. 407.Plutarch.  
in ejus  
vitâ,

Ianuus  
q. & stio.  
pp. part.  
quæst. 21.

lib. 2. de  
virgin.

simile.

De II.  
connub.  
glos. I.  
par. 2.  
n. 28.

non modò in pueritia aut adolecentia, sed etiam in omni ætatis gradu, maximum semper decorum ac formosam hominis speciem prætulerit. Ubi itaque talis virilis corporis pulchritudo adest, illuc quoque animæ & ingenii adesse pulchritudō plerunque solet. Est enim pulchritudo corporis, inquit vir divinus Ambrosius, indicium virtutis animi, & speculum corporis, simulacrum est metis, figuraque probitatis, & certum signum. Quemadmodum enim signis quibusdam agrorum fertilitas vel sterilitas, equorum bonitas ac virtus deprehendis solet; sic hominum corporibus notæ, accidentia vel signa, quæ animi ipsorum affectionem testantur, inesse solere Triquetus scribit. Contrà verò animi deformitatem non raro declarat corporis deformitas, vixque bonos mores putatur habere, cuius deformis facies deprehenditur. Unde non ma-

male cecinit Poëtarum Princeps Virgilius

Gratior est pulchro veniens è corpore  
virtus.

Tandem, ut me à corporis bonis expediā: præstat si sit Consiliarius noster aliquantulum proceræ & mediocris statuæ, toti membrorum reliquorum integrorum harmoniæ conveniente. Talis enim, quando ad populum verba facienda sunt, aut coram Principe alienigena res gerendæ, sive cum Legati munere fungitur, per corporis venustatem & statuæ elegantiam, authoritatem suā plurimū commendat, & pro dignitate sui principis, cuius personam repræsentat, maximè facit. Illi quippe qui tali proportione sunt prædicti, præ aliis plus authoritatis habere solent, & propterea iidem hominibus magis sunt acceptabiles & venerabiles, quam pygmæi, aut gibbosæ, loriæpedes, monoculi, vel qualicunque alia deformi corporis labe notati.

Proceræ  
& Mediocris Statu  
ra utili  
tas in C  
onsiliatio.

Non de  
bet esse  
pygmæus  
&c.

Has

Barthol.  
Philipp.  
in tractat.  
de Consiliari.  
rubr.  
de qualit.  
quos Fri-  
der. n. 24.

Has quæso rationes tecum ini: quid efficere potest pygmæus? quomodo authoritatem & gravitatem Princis, vel etiam suam tuebitur? quomodo populum formidabilem reddet? cùm ita insigni corporis deformis, qui à plurimis Reipub. inutilis & oneri, ut mortua membra, judicatur. Multi Peripateticorum Magistri, monent cavendos potius eos, quos natura nötavit, quam audiendos. Galenus, Hippocrates, aliquique Physici & Medici statuunt, in corporum vitiis animi vitia & morū habitare. Ipsum Aristotelem inter Philosophos sapientissimum crebro id proverbio habuisse fertur, ut Deus ipsum liberaret ab homine à natura signato. Sanè Consiliarius talis, qualem denominavi, qui nempe debitam & convenientem principis gravitatem per defectum corporis servare agrè potest, risum potius populo vel nationi exteræ, quam timorem & venera-

generationem excitabit. Sic Catonem Gentil. de Legatis. cap. 3. l. 3. ex Plutarcho, referunt in Legatos populi Romani, quorum unus faxo quodam in caput percussus fædas cicatrices ferebat, alter pedibus laborabat, in hunc modum jocatum: Mittit populus Romanus legationem, quæ nec caput nec pedes habet. Constat & hoc, Persas ne luscum quidem ad Principatum admisisse, ut nec Romanos ad senatum, nec ad sacerdotium lex Mosaica. Unde divus Hieronymus: Præcipitur, inquit, sacerdotibus, ut nullà debilitate insignes sint, ne truciis auribus, læso oculo, simis naribus, clando pede, cutis colore mutato, quæ omnia referuntur ad animi vitia. Præterea quod ad staturam attinet, neceam solum probant senioris Philosophiae Doctores, quæ esset nimis procera seu gigantea, quali fuisse singunt Poëtae Atlantem & Herculem, qui cœlum humeris suis dicitur sustinuisse; nec nimis parva seu pygmæa, quales propria expen-

Procop.  
cap. hinc  
etenim  
49. dist.

Non de-  
bet esse  
gigas ali-  
quis.

Ravif. in  
Theatro  
histor. de  
Giganti-  
bus.

Magna  
stature  
vitium.

Zimar  
prob. 27.

Regum

Lib. 7.

Aelius  
Lamprid.

Andr. Rey  
à Naglo-  
vitz in  
discursu  
de Con-  
siliar. n. 8.

rientia vidi plurimos. Proceræ si-  
quidem nimis staturæ homines, ple-  
runque solent esse incapaces & non  
ingeniosi, atque magno defectu la-  
borare: idipsum, proverbium com-  
mune testatur, quo dicitur: homo  
longus raro sapiens. Et non absque  
causa Aristoteles dixit, in corpore  
protero parvam habitare virtutem.  
Et rectè. Nam pulchro ac protero  
corpore, Saulum omnium Regum  
ex familia Judaicâ primum fuisse  
in sacro Codice legimus, at interim  
malum. Absolomus Regis Da-  
vidis filius nullum vitium à pe-  
dis vestigio ad verticem usque ha-  
buit, & vix octo tonderi diebus po-  
tuit si Josepho credimus: at impius  
in patrem. Pulcher Diadumenus, sed  
cruelis admodum, & sævus etiam  
ultra ætatem. Heliogobalus, sive ut  
alii nominant Elugaballus, 29. Im-  
per Rom, erat adolescens formosissi-  
mus, qui corporis forma, & ætatis  
flore omnes mortales, in primis Ro-  
ma-

Requisitus Consiliarii. 27

manos milites in se convertit; post-  
quam autem Imperator factus est,  
monstrum generis humani sese ex-  
hibuit. Quid de parvis nimis statu-  
ris judicandum? Illos plerunque i-  
racundiores, & temeritate magis,  
quam judicio valere multi affirmat.  
Verum si ex utræq; eligendum, plu-  
rimi concludunt, staturam mino-  
rem sive mediocrem potius, quam  
nimis proceram & magnam præfe-  
rendam: parvo enim in corpore ma-  
gnam sæpe numero virtutem, sub  
deformi corpore & sordido pallio  
mentis vim absconditæ latitare, tam  
experientia, quam veterum historia-  
rum probant documenta. Et faci-  
lior est jactura formæ, si virtus adsit,  
siquidem in mente, non in fronte se-  
dent virtutes. Satius etiam esse puto  
eum habere cerebrum & caput mi-  
nus ornatum, quam caput variè pi-  
ctum cerebro carens. Multi sanè cor-  
pore non adeò formoso, animo ve-  
rò formosissimo, justo seu prudenti-

Parvæ sta-  
turæ vi-  
tium.

Electio  
ex utra-  
que.

Hœn.  
disp. Po-  
lit. 4. §. 22.

B 2 &

& temperanti fuisse reperiuntur.  
Nec deformitate corporis secundū  
Senecam fœdatur animus: sed pul-  
chritudine animi corpus ornatur.  
Epist. 82.

Plutar: in  
Agesilao.

Ioh. Harp.  
orat. de  
boni Con-  
sil. doti-  
bus & of-  
ficio.  
Agesilaum Spartanorum regem o-  
mnibus virtutibus & imperandi ar-  
tibus instructissimum, quis morta-  
lium dignè satis laudaverit? eum ta-  
men pusillum formā parum proba-  
tā, claudum fuisse scribit Plutarchus,  
qui amabiliorēm sese ad senectutem  
usque omnibus formosis præbuit: &  
utilis extitit Reipub. Bartolus no-  
ster Jure Consultorum facile Rrin-  
ceps, statura corporis mediocris fuit,  
sed ingenio longè ultra mediocr ita-  
tem ascendentē. Sic ætate Jambli-  
chi vixit Alypius Alexandrinus Phi-  
losophus insignis, corpusculo exi-  
guo, pauloque quam Pygmæi ma-  
jore, quod intuenti videri poterat a-  
nima spiritusve esse, usq; adeò quod  
corruptioni obnoxium erat, nihil a-  
dolescebat, sed in divinam quandam  
naturam consumebatur, inquit Eu-  
na-

napius in Jamblico. Aesopum vi- Eunapius  
in fam-  
blico.  
de, in quo animi sapientia, cum tur-  
pitudine corporis concertasse videri  
alicui possit. Narrat Philippus Bar-  
thol. Fridericum Imperatorem à ve-  
natione ad ædiculam quandam fa-  
cram divertisse: in quā missam pres-  
byter faciebat, facie totāque corpo-  
ris habitudine admodum informis,  
unde rapto in admirationem, pres-  
byter peracto sacrificio, è re natā  
Imperatori Davidicū illud sugge-  
fit. Non ipsi fecimus nos, sed tu do-  
mine fecisti nos. Quo dicto percul-  
sus Cæsar voluit experiri, quid ho-  
minis esset, usus igitur est ejus ope-  
rā, & deprehendit magnam pruden-  
tiā incredibilēmque in rebus ge-  
rendis dexteritatem. Unde tandem  
& Cancellarium illum fecit multis  
mirantibus: Sidonius inter alia hæc Lib. 9.  
afferit de formā Philosophorū: Zeu-  
sippum fuisse cervice curva: Aratum  
pandā: Zénonem fronte contractā:  
Epicurum cute distenta: Diogenem

barbâ comante: Socratem cadente: Aristotelem brachio execto : Xenocratem crure collecto: Heraclytum oculis flectu clausis : Democritum labris risu apertis: Chrysippum digitis propter numerorum indicia constrictis: Euclidem propter mensuram spacia laxatis. Cleanthem propter utrumque corrosis. Hi viri autem qui fuerint, & qualia scripta ediderint, apud nos, qui eos legimus, est in confessio. Quare egregiè egregius dixit Poëta:

Non formosus erat, sed erat facundus  
Vlysses

Et illud Catonis notum est:

Corporis exigui vires contempnere noli  
Consilio pollet, cui vim natura negavit.

Vel istud Ovidii de se ipso

Si mihi difficilis formam natura negavit  
Ingenio formæ, damna reperdo, mea.

Non igitur corporis deformitas, nocere cuiquam debet, si animus se recte habeat. Nam ut Plato eruditè disputat: Animus verè est homo, corpus ejus potius instrumentum, quo utili-

In Parmenide.

utitur animus, ad exequendum ea, quæ factò opus esse videntur. Et quisque ea vereri debet, & seipsum considerare, ne ex corporis lineamētis de animo statim & temerè judicet. Quod monuit olim Poeta Tragicus, inquiens:

Accius in  
Bruto.

Proin' vide, ne quem tu esse hebetem deputes & quæ ac pecus,

Is sapientiæ munitum peccatum egregium gerat.

Elegantè Dio Prusæus: Neque enim vinum ex dolio judicant prudentes, sèpiùs quippe invenias, in concinno dolio vinum ex cauponis in vappam degenerasse: unde neque virum eruditum ex corporis formâ, aut cultu judicare convenit. Nota Natur. illud Senecæ. Inventæ sunt specula, quæst lib. ut homo ipse se nosceret. Multa ex 17. hoc consecuta: primò sui notitia. deinde & ad quædam consilium. Formosus, ut vitaret infamiam: deformis, ut sciret redimendum esse virtutibus, quicquid corpori deesset.

Quin & illud requiritur, inter alias Consiliarium constituentes partes, si in hac ipsa forma caput non sit majus, quam proportio corporis requirat, & omnia membra æquabiliter in homine disposita. Præter hæc etiam forma faciei non ultimum locum obtinet, quæ tamen non muliebris atq; delicata intelligitur, sed repræsentans gravitatem aliquam eligiam & viro dignam. Venustas enim, ut Cicero distinguit, propria est mulierum, dignitas virorum.

Jam abundem dixisse autumus de Consiliarij animi corporisq; bonis, eum à naturâ formatum ita constituentibus: quæ omnia nervosè Fridericus Furius Ceriolanus comprehendit, cum integrum Consiliarii faciem cum capite colorat: Caput, ajens, sit mediocre, atque rotundum, non acuminatum, aut nimium patvū: vultus longior quam rotundior, non parvus, vel nimium carnosus: frons magna aut medio-

cris,

Lib. 3. de  
Consiliarij.Externa  
lineame-  
ta Consi-  
liarij.

cris, non parva vel sterilis; oculi sint mediocres, clari, alacres, atque sedati, non nimium magni, parvi, turbidi, aut instabiles: nasum habeat aquilinum, non crassum, aut contortum: labia grandiuscula, non tamen pendula. Haec tenus ille.

Circa corporis porrò qualitatem & Ætas in considerationem venit. Consiliarius namque, neque triginta annis minor, neque sexaginta secundum nonnullorum Politicorum opinionem major esse debet. Et enim qui triginta annis juniores sunt, experientiâ destituti, ac varijs cupiditatibus & vitijs naturæ quam maximis obnoxij, perturbationibus, animi concitationibus, calore juvenili, præcipiti temeritate, inflato spiritu ducti, debitam & convenientem gravitatem servare vix posse feruntur. De quibus Sallustius: juvenes molles sunt, ætate fluxi, & dolis haud difficulter capiuntur: propendent in affectus, & regere

In Cat. II.  
c. 15.

B s

non

In Thye-  
stæ.

non possunt impetum. Et Seneca: ad honores evecti intemperanter atque insolenter sese gerunt: ad aliorum judicia & opiniones respiciunt: pejora facilè præcepta audiunt. Contrà post annum sexagesimum in graviscente ætate, memoriae vigor flaccescit, intellectus vacillat, experientia in obstinationem convertitur; calor, actionum stimulus, minuitur: eoque ipso rerum, occasiones negliguntur: corpora debilitata atque laboribus fracta, itineribus faciendis inepta sunt: atque adeò Aula inutile pondus silicernium existimat. Sunt deinde ut memorat Plato, senes decrepiti bis pueri nonnulli παιδογέρωτες, ratione ac consilio pueri. Sunt adhæc senes suspicaces, parvis ac angustis animis prædicti, meticulosi, queruli, utilitatem magis, quam honestatem spectant. Hisce & aliis nonnullis rationibus adductus Philosophus, juniores juxta & senes removet è numero germanorum

In Axio-  
och 1. &  
7 de le-  
gib.

Aristot. 2.  
Rhet. c 12.

norum Civium: juniores quidem, quod cives sint imperfecti, senes vero quod effecti. Ac ideò putant quidam in Proverbium venisse: Sexagenarios de ponte dejici oportere, hoc est, quod suffragiū non ferant, quod per pontem ferebant. A quinquagesimo anno lex Militem non cogit, à sexagesimo Senatorem non citat, ait Seneca, Apud Chalcidenses infra 50. annum magistratum gerere nemo potuit: uti nec Spartæ. Media igitur ætas Consiliarii ad consilia suppeditanda censemur opportunissima. Interim autem & post sexagesimum annum senes & ante 50. juvenes Dio decreto Meccenatis statutum scribit ad munus istud & quodvis aliud sustinendum aptos & idoneos reperiiri posse, & olim etiam repertos fuisse. Nam ex magno aliorum acervo in primis Lycurgus occurrat, qui Lacedæmoniis leges scripsit. Is enim omnium primùm apud eos instituit, ut octo & viginti seniores,

Sigon de  
antiq. jur.  
Civ. Rō.  
lib. I. c. 17.

De brevit.  
vita cap.  
ult.

Heraclytus de  
Politii,  
& Plutar-  
chus in  
Lycorgo.

Lib. 52.

Plutarch.  
in Lycur-  
go.

Livius 1.  
c. 8 Dio.  
Mal. c. 2.

Num. c.  
ii.

Tacit. 12.  
An.

Lib. 7.c.  
26.

Suet. c. 1.

res, semper Principibus Laconum adiusterent, quod consilium *yegrotav* nuncupavit. Romulus etiam primus Romani Imperii conditor, in consilium Reipub. seniores populi elegit: indeque Patres ob reverentiam & Senatores ob ætatem dicti, qui & Senatui dedere nomen, secundum Livium & Dionysium Haly-carnassæum. Ac ne multis Pagano-rum exemplis insistam, quis nescit Moysi duci Deum præcepisse ut se-ptuaginta seniores populi deligeret, Consilii & levamenti causa? Non de-sunt etiam juniorum exempla, qui Rempub. gubernabant. Quis fuit Nero, qui Consulatum initit ætatis anno vicesimo? Quis M. Val. Corvi-nus de quo Livius commemorat, quod summo favore populi, natus annos tres & viginti, Consul factus sit? Quis Jul. Cæsar, si Suetonio si-dem damus; annum agens decimū septimum, Flamen Dialis, qui sum-mus in urbe est honos, destinatus est?

est? Quid cæteros commemorem? Imò & militiæ Præfectos juvenes fuisse, historiarum lectio nobis sup-peditat. Cn. enim Pompejus deci-mo octavo ætatis anno, nono deci-mo Cæsar Octavianus Civilia bella sustinuerunt. Quid quod Imperium nonnulli tenerà admodum ætate sus-cepint, & feliciter retinuerint? David fratribus suorum minimus, Rex est Judæorum electus. Salomon duodecim natus annos Rex saluta-batur. Alexander Severus puer ad-huc provocante eximia ejus indole à senatu Cæsar factus est. Gordianus verò Imperatoriæ dignitate insigni-tus est anno ætatis suæ undecimo, vel ut alii 13, ut Junius Cordus dicit 16. Otho tertius annos vix duodecim na-tus, qui mirabilis dictus est propter sapientiam, ætatem puerilem su-prantem, Imperii habendas suscepit & feliciter administravit. Similiter Geysa, qui ephebis nondum exces-se-rat, omnium Principum consensu,

Tacit.  
Ann. 13.

1. Samuel.  
c. 16.

1. Reg. c. 3.

Volutera-nus lib.  
23. & Lä-prid. in e-jus vitâ.  
Julius  
Capitol.

Sigebertus in  
Chron.

Bonfin.  
decad.2.  
lib.6.  
p.259a

L. 91. §.3.  
E. de V.O.

L. 1. §.3 ff.  
de postul.

votisque populorum, ad Ungarici Regni fastigium elatus est: quandoquidem præclaræ indolis & magnæ humanitatis esse videbatur, imò potius à Deo datum, quām ab ipsis operatum reputabant. E Jure Consultis quosdam lubet adducere. Nūquid Celsus JC. adolescens admōdum jus Civile interpretatus est? Nervæ filium ætatis suæ 17. aut paucō majore publice de jure respondisse legimus in Digestis nostris seu corpore juris civilis. Facetum est verū ad rem congruum quod de Venetorum legatis legitur: Missi aliquando à senatu Veneto ad Imperatorem Fridericum juvenes quidā, & tantum non imberbes, quibus Imperator copiam sui facere recusavit: causam quærentibus, responsum, morem illum jam apud Imperatorem invalusse & Principibus omnibus innotuisse, ut non alii ad eum Legati mitterentur, nisi natū grandes, non etiam juvenes barba adhuc carentes.

Quā

Quā re legati auditā quempiam rotatum Cæsarem misérunt, ut saltem eos admitteret ad colloquium, super re legationem non concernēte: Annuit quidem, tametsi ægrè ingressi sic affati sunt: Cæsarea Majestas, si Respublica Veneta prudentiam & dexteritatem existimaret in barbis modò inveniri, hircos procul dubio duos ad vestram Majestatem Legatos misisset: quo dicto, etsi tali consellū minus digno: ostendere voluerunt, prudentiam non esse semper facie metiendam, & simul hanc sibi Provinciam à senatu nequaquam esse commissam, quin prius tentati essent, an decorè salvaque urbis Majestate legationis personam sustinere possent. Simile est & hoc, quod cùm ad Turcarum Principem imberbes adolescentes ex Gallia ævo patrum nostrorum missi essent, in contemptum sui & contumeliam illud fieri interpretatus tyrannus, plurimūq; ob illud stomachatus pruden-

Petrus  
Bembus  
de rebus  
Veneto-  
rum &  
Melch.  
Iunius  
Tom.z.  
orat. de  
Feudis  
conferen-  
dis orat.  
4.p. 178,

Bos.  
de Kirchn.  
lib. legat.  
P. 1. c. 4.  
n. 60.

dentia contra plus quam senilis illud quod legatorum alter indignati intrepide respondit: non esse ex barba virum, neque ex piloso mentem hominis judicandam, fore alioquin, ut cum barbatiores hirci sint, meliores etiam & prudentiores hominibus censerentur.

Hinc constat, non tam senes quam juvenes ingenii praestantia virtutum que suarum meritis esse estimandos, adeoque afferendum videtur non a Magistratibus & officiis publicis excludendos omnes juvenes, sed tantum rerum imperitos. Iniquum est, eum honori nondum tempestivum videri, inquit Valerius Maximus, qui virtuti iam maturus est. Scipio apud Livium adolescens exclamat, ab egregiâ indole annorû progressum expectare non oportere. Nam ut ingeniosissimus Poëta canit:

Ingenium cœlestes suis velocibus annis  
Prodit, & ingrata fert mala damna  
mora,

Recte ergo & Philostratus sensit,  
cum

Lib. 3. c. 1.

Lib. 6. de

cum ita dicit: non arcenda est adeo adolescentia, quasi non possit aliqua rectius senioribus percipere. Quidam tamen ex Politicis reperiuntur, qui tutius & consultius existimant, ut qui 30 annos nondum attigerunt, celebres adeant Academias, exteris videant perlustrantque terras, urbes moresque cognoscant, linguas varias addiscant, aliisque rebus utilibus & necessariis percipiendis sedulè vacent: Sexagesimum autem egressi annum, sibi vivere incipient: in ocio & quiete, bonis qualitatibus tantur, solius animæ salutis curantur, atque de beato ex hac misericordiarum valle, excessu subinde cogitent: a Principe sive Republicâ, honores, privilegia, & redditus condignos pro meritis atque exantlatis laboribus recipientes. Sicut octogenarius Berzellai Consiliarius Regius, non obscurè subindicat, Dominum Regem suum sic alloquens: Quot sunt dies annorum vitæ meæ, ut ascen-

vita Apol.  
lini c. 8.  
Fur. Ce-  
riol. c. 30.

ascendam cum Rege in Jerusalem? octogenarius sum hodiè, nunquid vigent sensus mei ad discernendum suave aut amarum? aut delectare potest servum tuum cibus aut potus? quare servus tuus sit oneri domino meo Regi? Audivisti haec tenus Auditores, quid naturæ beneficio in Consiliario requiratur potissimum: Ad Artis subsidia nos ut convertamus & tempus & ratio postulare videtur. neque verò hic una simplici-  
ve viâ ingrediendum, cùm consideranda mentis dona veniant, consideranda morum elegantia. Secundum enim communem Ethicorum assensum, duplex virtus hominem perficit: intellectualis & moralis. Quidn ergo perficiet Consiliarium: ut potè non hominum vulgarium, sed Principis qui est regula? ut itaque per Consiliarium Principi, per Principem populo benè sit, ante omnia Eruditione & doctrinâ ut sit instructus, necesse est. Literæ enim sunt,

Bo  
de  
lit  
P.2. Sam c.  
19. vers.  
34. 35.L  
f.Barthol.  
Keckerm.  
in Polit-  
eis.Consilia-  
rii erudi-  
tione &  
doctrinâ  
pollet.

sunt, quæ mentem illuminant, quæ si absint omnia in densa caligine ja-  
cent, omnia confunduntur. Literæ  
parta in bello conservant, literæ pa-  
cem & tranquillitatem tuentur, li-  
teræ rerum divinarum curam susci-  
piunt: literæ legibus utilibus civi-  
lem societatem muniunt: literæ, ut  
præclarè quidam dixit: plebeis ar-  
genti, nobilibus auri, Illustribus, ac  
Generosis gemmarum sunt loco, li-  
teræ commoda tot tantaque profe-  
runt, ut qui hoc potissimum tempo-  
re commemorare cuncta vellet, eâ-  
dem operâ & mare velle exhaustire  
judicari posset. Hoc verò minimè  
prætereundum puto Ciceronis: stu-  
dia, inquit, adolescentiam alunt se-  
nectutem oblectant, secundas res  
ornant, adversis perfugium ac sola-  
tium præbent, delectant domi, non  
impedient foris, pernoctant nobis-  
cum, peregrinantur, rusticantur,  
quod si ipsi neque attingere, neque  
sensu nostro gustare possumus: ta-  
men

Literarū  
enco-  
miua.Cic. pro  
Archia.

B  
o  
d  
e  
l  
i  
t  
  
L  
F.  
  
L  
d

Fpist. 19.  
lib. 2.

men ea mirari debemus, etiam cūm  
in aliis videamus. Plinium certèju-  
niorem non absque ratione & fun-  
damento hæc de literis dixisse co-  
nstat: Et gaudium mihi & solatium in  
literis, nihilque tam lœtū, quod his  
lætius, nihil tam triste, quod non per-  
has sit minus triste; itaque & infir-  
mitate uxoris & meorum periculo,  
quorundam verò etiam morte tur-  
batus, ad unicum doloris levamen-  
tum, studia configio, quæ præstant,  
ut adversa magis intelligam, sed pa-  
tientius feram. Quis desidiam, pi-  
gritiam, negligentiam, scelera varia  
majori studio fugit, quām qui quan-  
ta inde manent incommoda didicit?  
Quis melius quid liberis, quid ser-  
vis, quid toti familiæ tribuendum:  
cujusmodi labores imponendi, quæ  
expensarum atque sumptuum ratio  
instituenda, quo pacto in officio sin-  
guli continendi, intelligit: quām  
qui, quænam horum omniū sit con-  
ditio, cognovit? Inter omnes verò  
scien-

scientias quæ ad Rempub. benè &  
feliciter gerendam necessaria sunt,  
circa notitiam scilicet rerum earum  
quæ in omni genere Principatus ad  
Imperii magnitudinem & conserva-  
tionem potissimum pertinent, im-  
primis sibi Prudentiam Theologi-  
cam commendatam habeat. Hæc e-  
nim est basis & fundamentum Re-  
gni & Principatus: hæc est rerum di-  
vinarum sapientia: hoc solo genere  
vis ejus optimè exprimitur; utpote  
quæ certissimus principiorum in-  
dex, amplissima scientiarum omniū  
Princeps, & sapientissima omnium  
actionum rationumque arbitra: in  
hac ( ut alia nunc mittam ) quæ de  
virtutibus ac vitâ benè beatéque in-  
stituenda tradi possunt, comprehen-  
sa tenentur omnia. Nam cum im-  
pietas latam peccandi fenestram ho-  
minibus aperiat, & consilia impio-  
rum fraudulenta esse soleant: conse-  
quens est, Religionis & pietatis, quæ  
virtutes, ut dictum supra, omnes in  
se

Inter do-  
ctrinas  
primo  
Pruden-  
tiam  
THEO-  
LOGI-  
CAM CÖ-  
filiarius  
calleat.

Lang. de  
Theolog.

Prov. 12.  
verf. 5.

se complectitur, contemptum, Rebus publicis, eversionem & exitium adferre certissimum. Etenim impiorum consilia evertuntur: eorumque messis in herba perire solet. Sicut Achitophelis, Hamanis, aliorumque ejus farinæ Consultorum, à verâ pietate longissimè exulantium exemplis plusquam est manifestum. Desideratur itaque in Consilio, ut sciat, quinam rectè vel male in Religione sentiant: quinam religionis causa coerceri, vel non debeant. Neque solum hoc scire eum oportet, sed & ipse sincerae religioni, (Religione enim, ut inquit Plinius, vita constat: Et optimus animus, ut Seneca ait, pulcherrimus Dei cultus est) ex animo addictus esse, & votis ac precibus Deum colere, eumque ceu omnium rerum, dominum, & moderatorem sapientissimum sincerâ mente vocèque suspicere, venerari, & quoad ejus fieri potest, ex totâ anima & totis viribus suis diligere

re debet. Nam, ut omittam, Deum solum esse, qui mentem dat, qui animum confirmat, qui opes elargitur, qui fraudes intestinas comprimit, qui hostium impetum retundit, qui victoriam & magnis viris gloriam concedit, cujus bonitati & sapientiæ fonte tanquam inexhausto, quicquid salutis, quicquid boni in nobis est, acceptum ferendum est: quomodo quæso consilium de rebus arduis & præclaris inire poteritis, qui mentem castam & divini splendoris radiis illucentem non habet. Nam ut inquit Panegyricus: Nihil ritè nihilque providenter homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicari possunt. Quid ab eo boni atque salutaris expectari in Consiliis potest, qui nullam vim cœlestem numénque divinum existimat, religionem omnem capaneo more, ridet ac contemnit: aut Ecbolum imitatur, qui, Socrates Historicus ut refert, qm Imperatorum in-

Lib 14.  
nat. hist.  
c. 19.

Lipſ. po-  
lit. lib. 1.  
c. 2.

In princi-  
pio.

Lib 3.  
c. 13.

Val. Max.

ingeniis sese accommodaret, velhementer Christianum se esse simulavit: sub Juliano vero, Apostata truculentus apparuit: rursus post Julianum victimum Christianum sese professus est: etiam ante Oratorii portam in terram sese primum absciens clamavit, calcate, calcate me Salem insipidum: politicum hoc esse autumant ad tempora sese accommodare, ceræque mollis instar, aliorum ad arbitrium formare ac finge-re. Ut ergo nullo modo publica utilitas ab honestate separari, ita nec Christiana honestas à purâ religione avelli potest. Fallunt enim, inquit Val. Max. qui humanis Imperiis & Regibus, non ultionis divinæ metu, Respub. contineri docent: humana consilia castigantur, ubi cœlestibus se præferunt: Fallunt & hi multò perniciosius, qui consilia sua non religiosæ pietatis trutinâ, sed humanæ sapientiæ bilance, non Theologicæ fin-

sinceritatis æquilibrio, sed pseudo-politicæ subtilitatis staterâ metiuntur.

Prudentiæ Theologicæ Philosophica sive humana succedit. Hujus namque cognitionem in Consilio nostro requiri obscurum non est. Studio enim Philosophia, inquit aureum illud eloquentiæ flumen, ut à Cicerone appellatur, Aristoteles, homines ad prudentiam fiunt aciores. Quamvis autem, cum de verâ Philosophia nobis in præsentiarum sermo sit, ea maximè intelligatur, quæ practica vocatur & in actione consistit, Moralis scilicet, Familiaris & Civilis, de quâ paulo post agetur: alterius tamen etiam, quam Theoreticam indigitant, & quæ in contemplatione versatur, Naturalis videlicet, non plane ignarus & expers esse debet. Turpè certè esset homini Consiliario, in Regum ac Principum aulis versanti, & cum magnæ eruditio-nis viris sàpè congregidenti,

Calleat  
etia Præ-  
den: PHIL-  
OSO-  
PHICAM

Plut. tom.  
3 P 49  
Aristot. 2.  
Rhet.

C loqui

loqui nescire, de naturæ rerum causis; quæ vis materiem omnem, quicquid ex ea efficitur, & quasi informatur, contineat: quām varia ex eâ & multiformes expressæ fuerint qualitates: unde illa corpora extiterint, quæ Elementa vocantur: quæ vis fulmina & tonitrua impellat; inusitatos ignes accendat, arcum tam variis coloribus distinguat, ventorum prælia concitet, terram concutiat, & perpetuos terrarum tractus aquis obruit.

*Mathematicam.*

Mathematicis artibus, instructum eum esse, non inutile videbitur, ubi eilicet instrumentis, ut pote circino, umbrâ, speculo, locorum distan-  
tias, turrium atque montium altitudines, fluminum atque vallium lati-  
tudines dignoscere, & pennis quasi assumptis ad cœlos ascensum parare. De Astronomia quid dicam? pluri-  
mas eam Consiliario utilitates afferre, nemo opinor sapiens aut doctus negabit, cùm ut alia nunc negligam,

*Astrono-  
miam.*

*upul.*

nihil

nihil hoc in mundo fortuitum & inordinatum, legitimo bono que ordine facta esse cuncta ostendat: quis item Solis & Lunæ cursus, quis siderum & stellarum huc & illuc obrantium positus, ordo, motus, ortus, obitus, hæc ipsa demonstrat. Quomodo Arithmeticâ Consiliarius carabit? cùm accidere sacerdos, & quām sapissimè id soleat, ut de hereditatum divisione, de militum conscriptione, de aulicorum solutione, aut aliis controversia oriatur, neq; quicquam judicetur turpius, quām Consiliarium circa numeros trepidare, & digitis ut alias illud hominum genus ignarum & plebejum partes numerare, si casu aliquo ei quæstorum aliorumve suspectorum argenteriorum ratiocinationes committantur. Geometriam porrò quis tanquam minùs Consiliario necessariam rejicit? Nónne de mensuris in foro & terminis, aut territoriis sacerdote dissentit? Quid ad hæc Consiliaria.

*Arithme-  
tica na.*

*Geo-  
metriam.*

C 2

lib. 6. c. 6.

Illiarius horum ignarus dicet? quid si finium regundorum actio instituatur, distribuendi agri sint? Recte huic hanc, illi illam partem æquitati congruā adjudicabit, qui dimensio- nibus ipse uti nequit? nū sine hujus ope historiæ intelligi, castra locari, urbes ædificari, arces muniri que- ant? vel ædificiorum, templorum, navium, & aliarum rerum, dimen- siones haberi. Tolle metiendi ratio- nem, & justitiam, civiumque con- cordiam, ut Bodinus inquit, multas- que alias utilitates ē vita tollēs. Et certe Geometrica studia, qui negli- genda esse Consiliario, nec ei utilia opinatur, is vel Archimedem illum consideret, qui unus diu Syracusas sua arte defendit, ac Marcelli machi- nas elusit. Ob oculos pōst Julium Cæarem constitutat: qui nisi insi- gnis Geometra fuisset, pontem istum sublicium Rheni, tot propugnacu- lorum genera & extruere & expu- gnare minimè potuisset. De Philo- sophia

Melch.  
Iunius  
tom. I. O-  
rationum  
pag. 509.

sophia practica, ex qua oritur Politi- ca, quid proferam? an hujus qui est expers, unquam feliciter publicas res administrabit? aut quibusnam illæ rationibus, vel instituendæ vel conservandæ vel augendæ atq; am- plificandæ sint, perspiciet? non ine- ptè agendo illud audire & devorare Euripidis sāpē cogetur: imperandi studio flagrabis, rei militaris igna- rius; ratiocinandi imperitus, quæsto- rem agebas: in re curanda familiari iners, imperii clavum tenere avebas: nonne multis, quod ajunt, parafan- gis publicis in Consiliis alios ille præcurret: qui quæ à Platone in Po- litico Minœ, libris decem de Re- pub. duodecim de Legibus, Ep ino- mide, aliis, graviter sunt disputata, legit? cognovit ea quæ in Politicis suis Aristoteles tractat: vidit Xeno- phontis gerendæ Reipub. præcepta: à Plutarcho tradita didicit: de Re- pub. Ciceronis colligit fragmenta, de Legibus, officiis reliquis, evolvit

POLITI-  
CAM  
scientiā,  
cognitam  
habeat.

Iunius  
tom. I.  
pag. 656.

ETHI-  
CAM  
scientiam  
non igno-  
ret.

Lunius.  
tom. I.  
pag. 654.

scripta: non, ut ex infinita propè multitudine scriptorum paucos attingam, Vidam Salomonium, Bresiū, Osorium, Diogenem, Lipsium, Bodinum, Tholosanum, Patritium, Chokierum, Contzium, neglexit? Jam aurem Ethica mihi vellicat, & ad se me vocat, quæ quām sit Consiliario necessaria, quis est, quem fui-  
giat? Quomodo rectè aut dicet, aut judicabit de rebus bonis vel malis, de virtutibus vel vitiis, de officio, de perturbationibus animi & erroribus, de non paucis ac infinitis aliis, nisi morum tinctus disciplinâ fuerit? nisi id ipsum ex scientia Ethica didicerit? Gravis deinde hujus cùm sit professio: nec ut nonnulli hodiè, meo quidem iudicio non stulti, suo verò valdè sapientes, autumant, in vestitus novi atque insolentis ostentatione, in morum externorum & pronunciationis imitatione, in digitorum intempestivâ prælibatione, intrullarum soteriarum exsiccatio-

ne;

ne, sed longè aliis rebus sit posita, quid obsecro, laude idem dignum præstabit, nisi moratus benè extiterit? usque adeò, ut quod de Senatu, & veteribus Romanorum in Legibus perscriptum: hic ordo vitiis careto, cæteris specimen esto, idem ad se quoque pertinere, omnino statuere debet. Quid enim? oculus ne rectè cernet, vitio aliquo qui labo-  
rat? gladio benè mente captus ute-  
tur? ulceribus ipse scatens alios cu-  
rabit? à Viro non bono, & in quo mala, utille ait, mens, malus ani-  
mus, boni quid expectabit? An au-  
toritatem constantem, firmam, sat-  
tam, tectam, retinebit is, qui aut fe-  
le rapacior, aut Glauco profusus, per-  
ditus ac dissolutus magis nepos, aut Phalaride crudelior, aut turture lo-  
quacior, aut Lebethriis inelegantior,  
aut talpâ cæcior, aut Batalo intem-  
perantior, aut Oromedonte elatior,  
aut Damâ timidior est? De Philoso-  
phia Practica ut prolixius agam su-  
per-

B  
d  
li  
P.  
  
L  
G

Polyb. 12.  
Histor.  
c. 16.

I  
epist. 2.

perfluum videtur, cum plane absurdum sit in Repub. versantem, ea, quibus præcipiè Respub. stat, & ex quibus manat ignorare. Neque aliam Philosophiam Plato insignis intellexisse existimandus est, cùm nobilissimam illam vocem tanquam ex oraculo edidit: Tum demum beatas fore Respub. cùm aut regnarent Philosophi, aut Reges Philosopharentur. Cui convenienter Plinius adstipulatur: nullam laudabiliorem Philosophiæ partem esse, quā agere negocium publicum, cognoscere, judicare, promere, & exercere justitiam, quæque veri Philosophi doceant in usu habere. Hæc Philosophiæ pars aperit & docet, quid honestum, quid turpe, quomodo domus regenda: quæ patris, quæ matris, quæ heri potestas, quo pacto res familiaris tuerenda: quot imperiorum genera, quibus virtutibus & disciplinis imbustum esse oporteat, qui Rempub. bene administrare velit: quis sit optimus

mus Reipub. status: quibus artibus & remedii inclinatae ruentésq; Civitates subleventur, & optimis institutis & legibus temperentur. Unde rectè Crassus apud Cic. affirmat: nullum posse esse Oratorem, nisi qui hanc Philosophiæ partem omnem perdidicerit: omnis siquidem ratio est ex iis rebus, quæ vel agendæ vel fugiendæ sunt: in quibus cum officium omne consistat, sequitur necessariò, ut qui officiorū ignarus est, is etiā in dicēdo rerū inops & in facultus existat. Itaq; nō immeritò exclaims idē Cic. ô vitę Philosophy dux! ô Virtutis indagatrix! ô vitiorū expultrix! quid non modò nos, sed omnino hominum vita sine te esse potuissest. Tu urbes peperisti: tu dissipatos homines in societatem vitę convocaſti: tu eos primò inter se domiciliis, deinde conjugiis, tum literatum & vocum communione, junxiſti: tu inventrix legum: tu magistra morum & disciplinæ fuisti: Audiamus

Lib. 1. de  
Or.

Lib. 5.  
Tafc.

C s etiam

Epist. 90. etiam breviter Senecam: Hujus unum opus est, de divinis humanisq; verum invenire, ab hac nunquam recedit justitia, pietas, religio, & omnis alius comitatus virtutum confortarum & inter se cohærentium.

Epist. 16. Et porrò alibi: innumerabilia accidunt singulis horis, quæ consilium exigunt, quod ab hac petendum est. Sed objicit forte aliquis illud Athenæi: Heu mihi! philosopharis? atqui Philosophi,

Lib. 3.  
dipno:  
sop. c. 33.

Sermoni solo sunt sapientes: ceteris  
In rebus esse novi ego stultissimos.

Fallitur, qui id cogitat: Nam non loquor h̄ic de Philosophiâ illâ, quæ in meritis ideis animi vacui ab omni gubernatione singitur, nec de Philosophastris, qui vel sine judicio Philosophiæ operam dât, vel nimio ejus studio ducti, Philosophiâ uti nesciunt, & sapientes sunt, præterquam in iis, in quibus sapientes esse debet. Cum Sallustiano Mario, parum mihi placenteæ literæ, quæ ad virtutem docto-

In Iug.  
c. 85.

doctoribus nihil profuerunt: sed loquor potissimum de iis, qui usum & exercitationem conjungunt. Äquū visū est adducere illud Taciti, quod de Helvidio Prisco narrat, Helvidius Lib. 4.  
Hist. Priscus ingenium illustre altioribus studiis juvenis admodum dedit; non ut plerique: ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quò firmior adversus fortuita Rempub. capesset: Doctores sapientiæ secutus est, qui sola bona, quæ honesta, mala tantum quæ turpia, potentiam, nobilitatem, ceteraque extra animum, neque bonis neque malis annumerant. Quæstorius adhuc à Pæto Thraseâ gener dilectus, è moribus socii, nihil æquè ac libertatem hausit, civis, senator, maritus, gener, amicus; cunctis vitæ officiis, æquabilis, opum contemptor, recti pervicax, constans adversus metus. Nec in profanis tantum, sed sacris & historiis memoriam proditū est, sinceriorem illam & sobriam

C 6 Phi-

Philosophiam probatissimis etiam Consiliariis insigniter fuisse commendatam. Josephus sanè, magni illius Pharaonis Consiliarius intimus & arcanissimus, & ipse præcelens Philosophus, vel potius ~~de~~ <sup>de</sup> ~~o~~ <sup>o</sup> & alios in eodem sapientia studio seniores Aegypti Principes eruditivit. Daniel potentissimo illi Monarchæ Babylonico, à consiliis secretissimis, omnibus reliquis in Regno Sophis decuplo sapientior inventus, provinciam sibi demandatam, laudatissimè administravit. Sed de Philosophiæ excellentia & ejus amatoribus, si singillatim, aut pro magnitudine parem differete, tempus quam res, maturius me deseret: quamobrem ad incepturn redéo.

Huic Practicæ Philosophiæ affinis est Jurisprudentia, ut pote quæ ex hoc fonte promanavit, & vera non simulata Philosophia, æquum ab iniquo separans, licitum ab illicito discernens, ab Antecessore Ulpiano appell-

Salust in  
Iugur.  
C. 42. f.

IURIS-  
PRV-  
DEN-  
TIAM te-  
nac.

appellatur. Non sanè immeritò. L. I. S. T.  
Quod enim Sol in cœlo, ratio in ho- ff. de Iust.  
mine, oculus in capite, gubernacu- & Iur.  
lum in navi, auriga in curru, id est Jurisprudentia in Repub. & leges in societate Civili omni. Atque ut So-  
le obscurato undique tristissima nox  
diem opacat; ratione conturbatā, ho-  
mo in domicilio suo exulat, oculo  
eruto, caput & totum corpus vacil-  
lat; gubernaculo rupto, navis peri-  
cula naufragiorum singulis momē-  
tis expectat, irato mari sortem cum  
usuris pensura; aurigā excusso, cur-  
rus ad interitum curriculo currit:  
Sic jure legib[us]que ex hominum so-  
cietatibus depulsis & valere jussis, ut  
ipse tandem pessum eant, Imperia  
atque Republicæ corruant, dissipē-  
tur, aut in generis humani spolia-  
ria, degenerent necesse est. Justitia  
namque sola non modò Respub. &  
Imperia, sed societatem omnem mu-  
nit & servat. Regina itaque homi-  
num & omnium, quæ cœlo terraq;

C 7 con-

Lansius  
de Juris-  
prud. Iau-  
dibus.

Bonfin.  
decad. 1.  
lib. 3. p. 53.

continentur Imperatrix augustissima & interpres est Jurisprudentia, cuius gloriam nullæ latides æquare, nullus comprehendere animus, nulla lingua eloqui potest. Hujus profecto cognitio in Consiliario non vulgaris desideratur. Quamvis etenim Principis Consistoriorum litiibus disceptandis non debeat occupari: nihilo tamen minus, quia & extra ordinem, sæpè judiciaria negotia incident, & leges firmissima Imperiorum ac Principatum fundamenta sunt, absonum esset, omnium artium & scientiarum moderatricem & Architectonicē ignorare Consiliarium. Cui non constat, quæso, quod sæpenumerò leges novæ condendæ sint; sæpius in latrones, homicidas, fures, prædones, blasphemos, adulteros, raptores, falsarios, proditores, peculatores, ambitus & majestatis reos, aliósque delinquentes, animadvertisendum? Sed & inter Principes, tales exoriri possunt

con-

controversiæ, de quibus in magno & Principali Consistorio tractetur. Quoties enim agitur de jure alicuius Civitatis? quoties deliberatio instituitur de jure portus, agri, fluvij, finium regundorum, divisione hæreditatis, & his similibus? Unde levi de causasæpissimè contentiones gravissimæ oriri solent; bella pernicioſissima & funestissima nascuntur. Quo casu exacta Jurisprudentiæ cognitio efficiet, ut Consiliarius non solum de re propositâ differere eruditè valeat: sed etiam utrum bellum iustè ac legitimè suscepturn sit nec ne, intelligat: Atque ut Plautus:

In Epis.

— Hicerit optimus  
Hic poterit cavere, jura qui & leges tenet.

Tales Iurisprudentiæ peritos fuisse legimus in Historiis veterum, qui in Aulîs Principum magno in honore habebantur. Alexandro ita Cæsari erat numerosissimum Consilium, in quo Juris Consulti non pauciores erant viginti, inter quos Fabius Sabinus,

B  
d  
li  
P  
  
Lamprid. binus, Cato dictus sui temporis, Do-  
mitius Ulpianus, Julius Paulus, qui  
vertices legum dicti, Pomponius le-  
gum peritissimus, Alphenus Floren-  
tinus, Africanus, Martianus, aliquique  
permulti juris Professores, discipuli  
Papiniani, qui juris asylum dictus  
est, sine quibus nec legem ullam san-  
cavit, nec de ulla re graviore statuit:  
sed ita ut iretur, per sententias sin-  
gulorum, ac scriberetur, quid quis-  
que dixisset, dato spatio ad inquiren-  
dum & cogitandum, priusquam di-  
cerent, ne immediate de rebus grá-  
vioribus dicere cogerentur, eoque  
censetur numero, qui Senatus Con-  
sultum conficere posset. Quid mul-  
tis? Augustum scimus Cæsarem Tre-  
batio Juris Consal. usum esse; Cas-  
sio Vespasianum, Neratio Trajanū,  
Juliano Hadrianum, Scævola Anto-  
ninū, Papiniano Septimum Severū,  
qui quidem omnes, ut Iurispruden-  
tiæ laude floruerunt, ita Principi-  
bus jam dictis decori & ornamento,

Rei

Chokier.  
Thesaur.  
Polit lib.  
3. c. 8.

Rei verò publicæ præsidio summo  
fuerunt. Et sane Consiliarius nō Ju-  
ris Publici solùm, sed & Privati noti-  
tiam habere debet. Ridiculi quippe  
Politici illi æstimantur, qui Jurispub-  
lici scientiam venditant, & jus pri-  
vatum ignorant. Imò turpè est Con-  
siliarium esse, quem Cives de re mi-  
nimâ litigantes, non arbitrum reci-  
pere, ob juris privati ignorantia ve-  
lint, vel ausint: quæ infrà prolixius.

Quia verò Consiliarii boni est,  
de futuris ex præcedentibus conje-  
cturam captare, imprimis Historia-  
rum multiplex cognitio desidera-  
tur. Quippe magno illo Germaniæ  
nostræ decore Melanchthon teste:  
Quiequid homines discimus, disci-  
mus tum Regulis tum Exemplis. Nā  
quia Consiliarii munus est judicare  
de iis, quæ Reipub. sicut aut fieri de-  
bent, operæ precium est, ut habeat  
ista duo, nempe Regulas, ut sciat,  
quæ in Repub. fieri debent, & Ex-  
empla quomodo fieri solent. Unde  
Con-

HISTO-  
RIARVM  
cogni-  
tionem  
perspe-  
ctamha-  
beat.

Consilium in Aula, qui Historias non callet, Asinum ad lyram dixerim. Tantus namque earum usus est, ut major esse non possit. Eam itaque vel omnium maximè Consilio necessariam esse in confessò est, cùm nulla hominibus facilior ad vitæ institutionem via sit, Polybio teste, quām rerum antè gestarum cognitio. Idem alibi: Verissimam disciplinam exercitationēmque ad res Civiles historiam esse. Quam mentem præclarè vir sanctimoniam doctrinaque Clarissimus Gregor. Nazianz. explicat; dum inquit: Præclarum est, mente in historiarum cognitione instructam ac refertam habere. Historia enim, conglobata quædam & coacervata sapientia est, hominūque multorum mens in unum collecta. Et verò, quis nō sciat, ad Consultationem res gestas utilissimas esse? Siquidem ut plurimum præteritis futura similia sunt. Unde verissimè Isocrates: Si præteriorum me-

I Era. in  
Adag.

Lib. I. c. I.

Ad Ni-  
cob.

Arist.  
Rhet. I.  
cap. 21.

Orat. ad  
Nicol.

memineris, de futuris etiam rectius deliberabis. Deliberate verò nemo facilius potest, quām per cognitionem Historiarum. Historia sanè tantam copiam & ubertatem eorum quæ ad vitam rectè instituendam, & Rempub. optimè administrandam pertinent, suppeditant, ut qui eas nec legit, nec legit attentiū & accuratiū, ut sunt à probatis scriptoribus literis traditæ, is omni prorsus laude indignus videatur. Observeatur tamen interim illud Poëtæ:

*Qui legis historias, nec mores inde gubernas:*

*Vtilius p oteras, ludere, quām legere.*

Longum iter, ait Seneca, est per præcepta, at breve & efficax per exempla. Exempla enim, teste Cicerone, omnia jacerent in tenebris, nisi literarum lumen accederet, quod lumen intelligit Historias.

Historia enim est testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuncia vetustatis, ut idem

Epist. 6.

Cic. pro  
Archia.

B  
d  
li  
P  
  
Lib. 1. Bi-  
bliot.

In Timo-  
teonte  
Paulus  
Amilius  
pr.

L. 2. ad Q.  
Fratre.

idem de Oratore scribit. Et alter, Diodorus Siculus: Quod sit custos illustrium virorum virtutis, testis malorum sceleris, benefica in omne humanum genus. In qua secundum Plutarchum tanquam in speculo ornare & componere vitam tuam ad alienas virtutes ostenditur. Et ad Brutum Cic. Nescire, quid antequam natus sis, acciderit; id est semper esse puerum. Quid enim est ætas hominum, nisi cum memoria veterum cum superiorum ætate contexitur? Commemoratio autem antiquitatis, Exemplorumque prolatione, summa cum delectatione & authoritate Consiliario adfert & fidet. Quod si quis de origine mundi scire avet? id docent historiæ. Si de bello veterum gentium? id docent Historiæ. Si de Turcici Regni successu & progressu ad Christianas oras? id docent Historiæ. Si de bello Turcico cum Christianis & præsertim Vngaris, qualiter Turca communis Christia-

stianorum hostis, plurima & deplo-randa fortilitia atque propugnacula occuparit: id docent Historiæ. Si & id scire desiderat, qui fuerint pri-mi Imperatores & Urbium conditores, qui & ex quâ familia in regionibus sparsis regnaverint, & qui il-lustrior & nominis minoris sit habi-tus, eorum quot bella quisque ges-serit, quibus cum & quo tempore, qua de causa, unde ortus inimicitia-rum, & quæ ratio aut necessitas pa-cis rursus fuerit ineunda? id docent Historiæ. Non immerito itaque Xenophon inter alia scribit, Cyrū mor-iturum filii suis præcepisse: Ex iis quæ ante facta sunt, discite: Hac e-nimi optima est doctrina. Thucydi-des historiam nominat expressam i-maginem, & quasi speculum quod-dam vitæ humanae, accurrè repræ-sentans, & quæ facta sint, & quæ semper sint futura, donec eadem ma-net hominum natura. Quod ele-gan-

ganter Poeta quidam his versibus  
decantat:

Illa ego quæ gestis præsum custodia rebus,  
Digeo quid caveas, quodque sequaris  
iter.

Priscaque ne veteris vanescat gloria seculi,  
Vivida defensant, quæ monumenta da-  
mus.

Et sua virtutē per me sunt præmia rur sum  
Impia famolis deferō facta notis.

Eloquor, & summi quantum jactantur &  
imi

Eloquor & cæcæ fasque nefasque deo.  
Quod maius theatrum circus que capacior,  
aut quæ

Doctior humanas scena referre vices?  
Me sine quis prudens? unde experientia  
major?

Quis me adiit, tandem non mage doctus  
eat?

Omnis enim nostro, pendet prudentia  
fensi,

Riteque nil nostra, qui caret arte, ra-  
pit.

Cæterum in legendâ historiâ, non  
modò rerum gestarum, locorum &  
temporum circumstantias observa-  
bit Consiliarius: sed rerum etiam di-  
ligenter cognoscat Causas, Consilia,  
Acta, Eventa, cur quid gestum, cur  
quid

Langius  
de Histor.

quid omissum sit: casu ne factum sit,  
& felicitate: an verò virtute & con-  
silio. Adeoque quod Livius habet  
in operis sui præfatione, quilibet si-  
bi dictum habeat, specialiter verò  
Consiliarius noster: Hoc illud est  
præcipuè in cognitione rerum salu-  
bre, ac frugiferum: omnis te exem-  
pli documenta in illustri posita mo-  
nimenta intueri; Inde tibi tuæque  
Reipub. quod imitêre, capias, inde  
fœdum inceptu, fœdum exitu, quod  
vites. Quemadmodum enim Me-  
dici nihil prodelle ægrotantibus  
possunt, si morborum causas, aliásq;  
circumstantias ignorent: ita qui cir-  
ca res gestas versantur, omni omnino  
fructuarent, nisi & loci & tem-  
poris, & causarum, omniūque oc-  
casionum rationem perspectam ex-  
ploratāmq; habeant. Nam nec il-  
li ægrotos rectè curare, nec hi quic-  
quam in rebus agendis laudabiliter  
obire poterunt: nisi eorum omnium  
cognitionem yeram & solidam sibi

Polyb.  
lib. 3. hist.

ac-

acquirit. Verum enim verò, non tantùm veterum Græcorū, utpote Herodoti, Polybii, Dicti Cretensis, Thucydidis, Xenophontis, Diodori Siculi, Plutarchi, Zonarae, Nicephori Gregoræ, vel Romanorum, Livij, Taciti, Sallustij, Flori, Dionis Cassii, C. Caſarisi, Appiani, Ammiani Marcellini, sed & nostri temporis Thua-  
ni, Sleidani, Orteliij, Chyträi, Mete-  
rani, Londorpij, præcipue verò fa-  
miliæ Principis cui inservit, vicino-  
rum Principum, & Rerum publica-  
rum, cum quibus ei vel per conse-  
quentiam res fuit, vel est, sive sint a-  
mici, sive hostes, historias exactè nos-  
se debet, & sibi commendarissimas  
habere. His namque imbutus si ita  
fuerit, nullum erit dubium, quin in  
amore Principis, honore populi fu-  
turus sit. Dionysius Milesius Histo-  
ricus ob præclaras animi dotes, Ha-  
driano Principi tam acceptus fuit, ut  
inter Satrapas Equitesque præcipue  
notæ annumeratus, & mensæ, qua-

Philofstr.  
in Sop.  
hist.

præ-

præclaris, spectabilibus tantùm vi-  
ris patebat, particeps factus sit. De  
Alphonso scribunt Historici, eum  
Neapoli omnes doctos, quotquot  
per id tempus ibi essent, in hortos ad  
cœnam vocasse, lautissimeque exce-  
pisse: aliàs etiam illi solemne fuisse,  
statim post prandium vel Antonium  
Panormitam, vel alium aliquem è  
doctis audire, & ejus rei rationem  
hanc addidisse, dignum omnino se  
censere, animum quoque cibo suo  
post corporis pastum reficere. Impe-  
rator Alexander Severus, consiliis  
togæ & militiæ literatos adhibebat,  
teste Lampridio, & maximè eos, qui  
historiam norant. Fuit illi, inquit,  
consuetudo, ut si de jure aut negotijs  
tractaret, solos doctos, & disertos  
adhiberet: si vero de te militari, mi-  
lites veteres, & senes benè meritos  
& locorum peritos, ac bellorum &  
castrorum, & omnes literatos, &  
maximè eos qui historiam norant:  
requiriens, quid in talibus causis,

D      qua-

Piccart.  
D. c. 17.  
C. 5.

In ejus  
vitâ c. 16:

quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores, vel Romani, vel exterarum gentium fecissent. Prudens hercule Imperatoris Consilium quod à Platone sumptissime videtur, qui ajebat, oportere consultorem, ante omnia examinare, num ad eam rem curandam peritus esset, cuius gratiâ deliberatur. Itaque (ut in re clarâ multis parcam testimonij) cōcludam cum Osorio, viro longè eruditissimo, admodum expedire, ut Principis Consiliarii sint maximo ingenio prædicti, bonis artibus exculti, longo terum usi periti, in historiis diligentissimè versati, neq; præsentia tantum sagaciter odorantes, sed longè in posterū, quid utile Reipub. futurum sit, conjecturâ providentes.

Etsi neque hæ adductæ rationes, Historicum studium pro dignitate Consiliario nostro commendarent, hoc tamē palmarium esset, quod Historiæ ad Eloquentiam plurimū conducant.

ducant. Jā verò sine eloquentia quomodo Principis nomine Consiliarius respōdebit Legatis? Quomodo Legatus perorabit? quotidiè enim offeruntur occasiones Principi Consiliarios suos, aut ad exterros, aut vero ad subjectos alegandi, sive Regni, sive Provinciæ, sive urbis alicujus nomine & ambitu continētur. Hic debebit suadere aut dissuadere, hic accusare, aut defendere, laudare aut vituperare, gratulari, boni, aut mali aliquid exaggerare verbis, fieri etiam potest, ut ei mandato Principis sui, sive apud Principes exterros, eorumve Legatos, sive apud Rempub. aliquam, sive apud populum, ut ipsum fortassis à furore ad sanitatem, à seditione ad tranquillitatem, perducat, loquendum sit. Nam ut rectè & sapienter sensit Bodinus: Eloquentiæ ad populi conciones adhibere, & aureis imperitæ multitudinis orationis suavitate permulcere: oculos etiam verborum luminibus perstringere,

In L. 2.  
chef.

Lib. 7. de  
P. eg. in-  
stit.

EL O-  
QVEN-  
TIA Cō-  
siliario  
necessa-  
ria.

Lib. 3. 8. 3.

ac rationum illecebris mentes ab infania & furore ad sanitatem perducere, non modò laudabile, verùm etiam sàpè necesse est: in talibus casibus certè oratione sapientissimis sententiis refertà, gravissimisq; verbis perpolita, & ad audientium aures scitè accommodatà ut eum convenit. Quemadmodum enim in corpore humano, non caro solùm accutis humana, aut color bonus requiritur: sed etiam, & quidem præcipue animam, & nervos, & spiritus, & vitales quosdam motus adesse oportet: ita ut viva, non mortua sit Consiliarij aut Legati oratio, doceat, delectet, moveat, rerum ac sententiarum floribus conspersa, doctrinæ notis illuminata ut sit, necesse est. Nil enim ad movendas voluntates, impellendosque animos eloquentiâ est potentius, fructuosius nihil, nihil præstantius. Eloquentia, notante Aristotele, est arx salutis & quidem inexpugnabilis, Sapientiæ comes per-

perpetua, & præclarum ingenij lumen. Est, approbante Tacito, bona rum artium princeps: Est, Cicerone attestante, copiose loquens sapientia, domina rerum, pacis comes, otiique socia, & Reipub. quædā quasi alumna ac nutrix: quin etiam, ad dente alio, tutrix & gubernatrix, immò propugnatrix. Est, afferente Crasso, hominum conciliatrix, urbium conditrix, & legum inventrix atque conservatrix. Eloquentiâ namque probamus vera esse, quæ defendimus: Eloquentiâ conciliamus nobis eos qui audiunt: Eloquentiâ eorum animos, ad quemcunque motum causa postulat, vocamus: Eloquentiâ consolamur afflictos: ducimus perterritos à timore, gestientes comprimimus: cupiditates iracundiásque restinguimus. Eloquentiâ devincimus alios juris, legum, urbiū societate, & à vitâ immani ac ferâ segregamus: Eloquentiâ succurrimus innocentibus, eosque contra

D 3 alio-

Annal.  
lib. II.

De Cl-  
Orat.

Zaert. in  
vita Py-  
thagoræ.

aliorum injurias tuemur. Testis horum est Pythagoras; qui Crotonis, Italiae urbis, labentes, & in luxuriam prolapsos mores, Eloquentiæ præsidio firmavit & erexit: tantumque valuit, ut populum non minus virtutis, quam ferro domitum, assiduis monitis, ad antiquæ virtutis habitum traduceret. Testis Hiero Syracusanus, qui orta seditione, istud Eupolidis probans; omne id verba compta expugnare, quod ferrum minax non potest, inermis in forum prodijt, blandaque oratione populum in officio continuit. Testis Mene-  
Liv. 2.  
cap. 32.  
nius Agrippa, qui tantum Eloquentiæ suâ valuit, ut plebem à patribus dissidentem, solus oratione suâ, quo vellet flechteret. Testis Demosthe-  
Plut. in  
Demosth.  
nies, qui eloquentiæ suâ effecit, ut Græcia pacem & bella susciperet, suscep-  
tique deponeret: jungeret cum Regibus fœdera, & juncta quoque dissolveret. Testis Cicero, qui Elo-  
quentiæ adminiculo, non tantum

inno-

innocentia privatorum; S. Roscii, C. Rabirij, L. Flacci, A. Cluentij, M. Cælij, Q. Ligarij & aliorum, Romæ fuit asylum tutissimum; sed etiam contra furores L. Catilinæ & M. Antonii unicum extitit propugnaculum. Testis Valerius, de quo Val. Max. Regibus exactis plebs dissiden-  
Lib. 8. c. 9.  
tis à patribus, juxta ripam flumi-  
nis Anienis in colle, qui sacer appellatur, armata consedit: cratque non solum deformis, sed etiam miserri-  
mus Reipub. status, à capite ejus cæ-  
terà parte corporis, pestiferà: sedi-  
tione divisa: Ac ni Valerij subvenis-  
set eloquentia, spes tanti imperij in ipso penè ortu suo corruisset. Is nā-  
que populum novā & insolitā liber-  
tate temerè gaudentem, oratione ad meliora & saniora consilia revoca-  
tum, senatui subjecit, id est, urbem urbi junxit. Verbis ergo facundis ira, consternatio & arma cesserunt. Etenim, ut Poëta haud ignobilis canit:

Nil tam difficile est, quod non persuadeat,  
& non

Efficiat docti lingua diserta senis.

Ancipiit Eloquium longè penetrantius  
ense;

Hoc locutum motam sedat, & arma mo-  
vet.

Nam ut de suo hoc mihi Virgilius  
Poëtarum Princeps concedat.

— Magno in populo cùm sape coor-  
ta est

Seditio, sicutque animis ignobile vul-  
gus;

Iamque facies & saxa volant, furor arma  
ministrat:

Tum pietate gravem, ac meritis si forte  
virum quem

Conspexere, silent: arrestis que auribus  
astant,

Ille regit dictis animos, & pectora mul-  
cet.

Sed quo in studio magis cautum &  
providam esse oportet? nullo sanè  
quam in Eloquentiæ. In hoc quippe  
studio incumbendum est Consilia-  
rio, ne inhians Eloquentiæ, evadat  
garrulus. Picarum & psittacorum, in-  
quit Muretus, ista Eloquentia est, &  
linguae facilitate plus detrimenti,  
quam commodi Principi suo & Rei-  
pub.

1. Aeneid.  
vide Pic-  
car. ob-  
ser. dec.  
8. c. 7.

Muretus  
in orat.  
33.

pub. affert. Brevis autem & arguta  
atque sententiosissima eloquentia  
laudatur, eaque est acceptissima. Vi-  
dit hoc Seneca. Quemadmodum, in-  
quit, sapienti viro incessus mode-  
stior convenit: ita oratio pressa, non  
audax. Hinc Ovvenus, nostri seculi  
Martialis:

Facundus non est, qui multa, at qui bene  
dicit:

Vt nec facundus, qui malo gignit ager.

Sunt autem nonnulli, qui Eloquen-  
tiam ( secundum Cic. ) à natura ad  
salutem hominum, & ad conserva-  
tionem datam, ad bonorum pestem  
perniciēmque converterunt. Tales

2. De orat.  
fie.

Cic. de  
orat.

fuere C. Carbo & Tiberius Gracchus,  
quorum ille propter tribunatū tur-  
bulentissimum: hic propter Agraria-  
m legem, quam invitis patribus  
ferre contendebat, miserrimè inter-  
fectus est. Sed Suadam nostram de iis  
verba facientem audiamus. Utinam  
C. Carboni & T. Graccho talis mens  
fuisse ad Rempub. bene gerendam,

D f quale

quale ingenium ad benè dicendum fuit: profectò nemo his viris gloriâ præstisset. C. quoque Gracchus Tr. Pl. concionibus Rempub. vexat, motâque gravissimâ seditione, aëta sua tueri vult, neque abrogari patitur, duce optimo Consule, servi manu cœsus occubuit. Pericles, si Aristophani credimus, suadelâ labris suis insidente tonabat, coruscabat, & omnem miscebat Græciam. Callisthenes uno in convivio oratione profluentî Macedonas alternis laudans & vituperans, suæ non eloquètiæ, sed malevolentia, ipso judice Alessandro, dedit documentum. Eustathius Cappadox, Aedelij successor in Patriâ, eloquentiâ summa ad Saporem Regem Persarum Legatus missus, sic delinivit in convivio Regem, ut parum abfuerit, quin Rex tiaram abjiceret, & paludamētum cum penula Eustathij commutaret: sed aulici prohibuerunt meum inclamantes præstigiatorem; &

Legati

Legati domino, responderunt; cur pro Legato servum miserit Sophistam. Apage ergò mihi blaterones istos & linguaces, quibus est eloquètiae multum, sapientiæ parum, quorum omnis vis virtùsque in lingua sita est. Nam cum Legatus vel Consiliarius Majestatem ac dignitatem Principis legationis tempore præ se ferre debeat, necesse est, ut eleganti & temperato dicendi genere, expeditat, & eo utatur. Vetus & tritum, sed verum & notandum verbum, quo dicitur: Quales oratores videris, tales eos, à quibus missi fuerint, expecta.

Percepimus modò post alia, Auditores omnium generum benevolentissimi, Consiliario necessarium esse Historiarum cognitionem, animadvertisimus, requiri etiam eloquentiam. An verò illæ solæ constituunt Consiliariū? an solæ eidē sufficiunt? num fornax, per Consiliariū Principē instituet longe latèque dominan-

D 6 tem?

Sallust.  
Catil. c.  
s. & Gel-  
lius lib. t.  
c. 15.  
Sallust.  
ad Cæs. c.  
z. pag.  
124.

PER-  
GRINA-  
TIO Cé-  
filiario  
necessa-  
ria.

tem? Totū cœlo errat, qui in hoc errat. Peregrinatione, peregrinatione, inquam, insuper opus est. Attendite quæso rationum momenta. Præstare quis laude Eloquentiæ cupit? ne hunc pigeat cum Cicerone Rhodum petere, aut Moloni alicui recoquendū, atque refingendum sese dare. Amore alijs Philosophiæ solidioris flagrat? vel ab extrema Scythia cum Anacharse in Græciam ad Solonem aliquem tendet. Medicinæ studet? non solum horti, valles, montes, ob rem herbariam cum Dioscoride perreptandi: sed ne cum Hippocrate grave molestumque erit, circuire, historias morborum colligere, ex singularium multorum observatio-  
ne artem constituere, & confirmare. Legum & Juris cognitione Rei-  
pub. atque patriæ prodesse suæ ali-  
quis avet? non detrectabit cum Ro-  
manis, vel ex media Græcia mores &  
leges arcessere. Veritatis & sapien-  
tiæ cœlestis desiderium alium exti-  
mulat?

Plutarch.  
in Cic.

Bonf. dec.  
2. lib. I.

Sæc. 3

8. 61

mulat? (ut extimulare profecto quemlibet debet) cum Sabæorum Regina vel ex locis remotissimis Sa-  
lomonem aliquem petere, aut cum Eunucho Candacis etiam ex intima <sup>1 Reg. 10.</sup> <sub>Aet. 3.</sub> <sup>Lib. 2 in Arche- laco.</sup> <sup>Æthiopia Judæam aliquam, in qua veritatis lux, accedere minimè gravabitur. Attendite exempla Prisco- rum Principum, qui sapientissimo consilio, sumptu verè magno, præci- puas provincias lustrarunt. Scriptū nobis reliquit Laërtius, Author fidissimus, Alexandrum Macedonē maximam terrarum orbis partem peragrasse, hoc fine, utea omnia e- disceret, quæ ad optimam Regis di- sciplinam pertinerent. Proinde eum sæpè gloriari solitum fuisse ajunt, se plura oculis lustrasse, quam alii Re- ges unquam animo & cogitatione attingere valuerint. Quid in Ptole- mæo Rege Ægypti? is diutius pere- grinatus fuisse dicitur, & ignotas quasdam regiones post eum pere- grinantibus patefecisse. Primus</sup>

D 7

enim

Lib. 4.

enim omnium ut Diodorus scribit,  
 Æthiopiam ingressus est: ante eum  
 siquidem nemo Græcorum in Æ-  
 thiopiam transmiserat, neque Ægy-  
 pti montes quisquam ante eū tran-  
 scenderat. Vix credibile memora-  
 tu est, quantas Regiones peragravit  
 Sosoosis, omnium Ægyptiorum Re-  
 gum excellentissimus. Siquidem, si  
 Francisco Patritio, erudito viro, cre-  
 dimus, Arabiam, Lybiam, Æthyo-  
 pam, & universam Indianam ad O-  
 ceanum usque peragravit. Eodem  
 quoque laudis genere decoratur Mi-  
 thridates Rex Ponti. Is etiam Asiam  
 cum nonnullis amicis tacitus à Re-  
 gno profectus, nemine sciente, per-  
 contatus est, omnium urbium situs  
 ac regiones cognovit. Numquid Ca-  
 rolus V. Imperator Augustissimus  
 iter novies fecit in Germaniam, se-  
 xies in Hispaniam, in Italiam septies,  
 in Belgium decies, in Galliam qua-  
 ter, in Angliam atque etiam Afri-  
 cam semel atque iterum, postremo

Me-

Lib. 3 de  
Regno.Plut. 5.  
bel. lib.  
30.Zenoc-  
carus in  
vita Ca-  
roli.

Mediterraneum mare octavum, O-  
 ceanum verò tertium enavigavit, &  
 quidem difficillimis temporibus?  
 Stephanus Bathori Rex Poloniae nū  
 domi latitavit? Ejus, inquit Christo-  
 photus Warsovitz, adolevit pueri-  
 tia in Hungaria, in Germania & Ita-  
 lia exercuit se adolescentia, virtus il-  
 lustrata est in Polonia. Attendite  
 exempla hodierna Principum. Wla-  
 dislaus Poloniae Princeps, Magnus  
 Dux Lithuaniae, totam Germaniam,  
 Italiam, Galliam, Angliam, Belgium,  
 Lythvaniam, Moscoviam, partim et-  
 iam Ungariam peragravit. Simili-  
 ter facit Dux Florentinus, qui adhuc  
 dūm in locis peregrinis commo-  
 ratur. Æmuli quoque horum sunt  
 Illustris. Comites, Hunyadiensis ac  
 Maramorosiensis, Petrus Bethlen;  
 Andreas & Raphael Comites de Le-  
 schno, quos observantiae gratiā, no-  
 mino, memor jucundissimae conver-  
 sationis, quæ fuit in Acad. Viadrinâ;  
 qui mari & terra, licet maximo vitæ

cum

Oration.  
de vita &  
rebus ge-  
stis Ste-  
phani.

cum periculo, absque tædio tamē, peregrinas Academias & urbes ad-hucdum lustrare student. Studuit etiam id ipsum efficere Illustriss. Baro Franciscus Listius : quem aliquando vidit Germania, Gallia, Anglia, Belgium &c. Attendite exempla Clarissimorum virorū, quos ita peregrinatos fuisse legimus. Homerum in Ægypto : Platonem in Italia & Aegypto : Democritum in Græcia : Pythagoram in Persia : Diodorum Siculum in Asia & Europa : Sallustium in Africa. Consiliarium itaque commendabit etiam, si varias lustrarit provincias ac regiones, si celebres inviserit Civitates, multarum nationum probatos mores dicerit, sinus, portus, promontoria, montes, flumina, maria, loca denique quæcunque sunt insignia, diligentissimè cognōrit, magnos viros viderit & allocutus sit, aulas Principum frequentarit : notaverit inquam, an Provinciæ, quas viderit, ar-

mis

mis munitæ, quænam in ijs bella præteritis temporibus gesta fuerint, & quâ occasione: noverit vicinorū Principum potentiam, ut sciat, à quibus sibi timere possent, & quibus fidere, adversus quem bellum gerere, cum quo fœdus inire, qui redditus, quæ expensæ, quomodo Respub. hæc vel illa defendi queat, quis status, & his similia, atque hæc tam exactè, ut ei nemo falsarum rerum narratio-ne imponere possit: item quām lata sit & longa Provincia, vel Regnum quas munitiones habeat; ubi nam auditus pateat, quâ re subditi delecentur, quibus vitijs laborent, quot flumina non vadosa, & alia hujus generis. Ista omnia unde addiscet? addiscet ex peregrinatione. Namque ex peregrinationibus, ut auctor est Frā-ciscus Patritius, multa audiunt, multa ediscunt, multaq; oculis cernunt, quæ nullâ disciplinâ, nulloque doctore unquam perdiscere possent. Habet Germania nostra emporia

Lib. 3 de  
Regno.

lite-

literatum amplissima, & Academias ex plurimis præcipiis ac vetustissimas, quod aditus patet; Viennensem, Colonensem, Erphordensem, Lipsensem, Rostochiensem, Lovaniensem, Friburgensem, Basiliensem, Tubingensem, Gribsvaldensem, Moguntinensem, Jenensem, Helmstadianam, Witebergensem, Francofurtanam ad Viadrum, Marburgensem, Altorphianam, & quæ minimè postrema est, sed jam ad summum exaltata, Argentoratensem. Habet Italia, ubi bonarum artium studia exponuntur, Romæ, Patavij, Pavia, Senis, Pisis & Bononiæ. Habet Gallia Lutetianam, Montepesulanam, Aurelianensem, Andegaviensem, Bituricensem, Burdegallenensem, Tolosanam, Pictayanam, Pontimussanam &c. Habet Hispania Complutensem, Salmatiensem, Cordubensem & alias. Habet Anglia Cantabrigiensem, Oxonensem. Habet Scotia Edemburgensem. Habet Bel-

Belgium Leydensem, Franekeranam, Gronningianam. Habet Dania Haffniensem? Habet Svecia Upsaliensem. Habet Polonia Cracovensem, Zamosciensem. Habet Bohemia Pragensem. Quod si ex his non nullas viderit Consiliarius noster atque ibi, quantum licuit, commoratus, & cum doctis viris conversatus sit: quis dubitat ipsum plurima nō vidisse, non didicisse plurima, cum quo ad Politia, tūm quo ad Exoticarum linguarum notitiam? Quam sane utrum quis ex mutis solis magistris domi addiscere possit, quæso delibera tecum. Ille certè à ratione & veritate procul aberrare, ipsaque experientia refutari videtur, qui hoc efficere satagit, vel alios, hoc efficere posse sibi persuadet. Adjungeret ergo in peregrinatione, ad Linguarum Exoticarum scientiam apprimè Cōsiliario necessariam, omnem laborem & studium, cum præsertim id uno

Requiri-  
tur in  
Consilia-  
rio LIN-  
GVA-  
RVM,

EXOTL  
CARVM  
cognitio.

uno itinere, uno quasi labore addiscere commodè possit. Harum utique cognitio magnū usum ad quaslibet res expediendas, commodiusque tractandas afferre consuevit, præcipiè verò illarum gentiū, quibus imperat Princeps, vel qui hostes socii ejus habentur. Sit aliquis Consiliarius Regis Ungariæ, hunc quidem, Latinae, Vngaricæ, Schlavonicæ, & Germanicæ lingua non ignorā esse expedīt, propterea, quod ii, qui subjiciuntur ipsi populi intelligere eorum sermonem, & ab ipsis rufis volunt intelligi, propter multas & varias inter se tractationes: exactius quippe suæ ipsius sensa homo explicat, & cum majori auditur gratia ab ijs, qui eadem lingua utuntur, quā si semper & ubique interpres adhiberentur. Hinc & suos casus, æruminasque narrare, & magnum Principum, quod sāpē usu venit, arcana pro se quisque tali Cōsiliario nō dubitabit potius enumere.

rare.

rate. Non raro tertium occurrit quem noluerit esse conscientia secretorum. Legationibus item vicinorum audiendis, tam ratione officij, quam occasione ipsius belli, quantum idem afferet adjumenti? An per interpres hoc expedire potest? Illi, si quæ proferunt, non tam grata, nec tam efficacia esse solent, nec affectus tam benè movere possunt, multa siquidem sunt verba, multi loquendi modi, qui suas energias & dicendi habent significationes, quæ aliâ lingua, ex tempore præsertim, exprime nequeunt. Exemplo sit Censorius Catto. Cum nomine populi Romani legationem apud Athenienses obiret, quia Græcæ tum ipse nesciebat, ea quæ habebat in mandatis, per interpres exposuit. Ibi quod ea, quæ paucissimis verbis Cato dixerat, interpres vix longis ambagibus referret, Athenienses orationum dissimilitudinem mirati, Romanis sermonem in pectore, Atheniensibus in ore

Lipſ. in  
notis ad  
lib. 3. po-  
lit. c. 4.

Plut. ia  
Cat.

ore nasci dixerunt. Tantum enim à genuina ipsius auctoris mentे cu-jusvis interpretis orationem distare judicarunt; quantum inter cor & la-bra est interstictum. Ideo Themis-tocles, vir totius Græciæ in rebus a-gendis acerrimus, inque consilio ca-piendo dandóque callidissimus, cum Athenis profugus ad Regem Persa-tum concessisset, animi sui senten-tiam prius exponere noluit, quām Persicam linguam didicisset; idque ideo, ne per interpretem Regi ea, quæ sentiret explicare cogeretur. Interpretes enim, quædam interdū omittunt, quædam addunt, quædam aliter narrant, quædam implicant; præterquam quod perdant oratio-nis gratiam, ac venustatem. Et sanè si veredarij, nautæ, mercatores, & quicunque ad faciendum quæstum diversas gentes adire solent, plures eam duntaxat ob causam linguas ad-discunt, ut suis potius, quām alienis auribus ea excipient, quæ petenti-

bus

bis respondentur: quanto magis magni Præcipuis Consiliarius in id sedulò eniti debet? Atque hanc fuisse rationem verisimile est, cur laudatissimus Imperator Carolus IV. Bullà illà Aureâ, quæ de Imperato-rum electione agit, inter alia hoc quoque præcipiat: ut Electorum fi-lij primis ab annis Latinam, Italicā, & Illyricam linguam addiscant, ut sermonem cum multis gentibus cō-municare possint. Turpe enim ha-bitum fuit, & indecorum, proceres & veluti columnas Imperij, cum Re-gibus & Præcipib. externis, eorūm-ve Legatis, ore tantum alieno collo-quii, ipsos autem nutu & signis dun-taxat, quæ velint indicate. Quin i-mò si Præcipes & Magnates ipsi, va-riarum linguarum addiscendarum studio tantum operæ ac olei im-penderunt haec tenus, & etiamnum im-pendunt: quid per Deum immorta-lem! eorundē Consiliarijs dignius, quid laudabilius, quid honoratus,

Tit 26.  
circa 51  
nem.Camer.  
oper sub-  
cisi v.  
cent. 3.e.  
65. p. 136.

quām

quām dominis suis clementissimis  
hoc in studij genere, ne tantillum  
quidem cedere, imò quoad ejus fieri  
potest, ipsos antevertere. Mithrida-  
tes Ponti & Bithyniæ Rex inclutus,  
duarum & viginti gentium, quæ sub  
eius Regno erant, linguas calluit,  
neque unquam interprete usus est.  
Eandem quoque laudem tribuunt

Cleopatræ Aegypti Reginæ, quod si-  
militer multarum linguarum perita  
fuerit, atque per seipsum responsa  
dederit Aethiopibus, Troglodytis  
Hebræis, Arabibus, Syris, Medis,  
Parthis, alijsque. Carolus Magnus  
Imperator non barbaras tantum lin-  
guas, sed & Latinam perfectè tenuit,

Bonfin. dec. 1. l. 9. Græcam ita, ut eam intelligeret, le-  
gatisque Græcè responderet. Otho  
secundus Imperator à Saracenis &  
Græcis captus, cùm Græcè loquerre-  
tur, pro Græco habitus evasit. Mat-  
thias Corvinus Ungariæ Rex, &  
Deo, & hominibus gratus, perpetua  
seculi fama, sidus splendidum, præ-  
ter

Gellius  
lib. 17.  
cap. 17. &  
Val. Max.  
lib. 8.c.  
7.f.

Plut. in  
Antonio.

Avent. s.  
Bojor.  
Bonfin.  
dec. 4. l. 8  
pag. 654.

ter Turcicam & Græcam omnes Eu-  
ropæ linguas calluit. Si ergo hoc  
principibus commendationi est,  
quanto magis Consiliario nostro,  
qui Principis est veluti organum &  
instrumentum? Hinc Turcæ tamet-  
si à literis alienissimi sint, cùm ta-  
men videant linguarum cognitio-  
nem oppidò necessariam esse, quot  
linguas quis callet, totidem viris æ-  
quivalere, imò præcellere, vulgato  
verbo dictitant. Nec malè: cum tu-  
tius sit, committi uni, aut paucis ar-  
cana Imperij, quām multis Legatis  
& Consiliariis necessario Regni ar-  
cana committenda: & cuitutius hæc  
concredas, quām isti uni, qui instar  
sit multorum? hic aptè & decorè Le-  
gationes suscipiet, simul & aliorum  
Principum excipiet, hic mores, in-  
stituta, conditiones universas gen-  
tium jam antè cognovit.

Rursus quia, ut rectè Cicero: o. De Offic:  
mnia sub præsidio & tutela virtutis  
bellicæ latent, & non tam cum ma-  
gnis

Antonius  
Menav.  
& Guil.  
Post. de  
reb. Tur-  
cic.

REI  
BELL.  
CA<sup>ES</sup>  
TIA.

gnis Regibus amicitiæ junctæ, neque fœdera, cum gentibus finitimiſ inita, quām rei bellicæ scientia, & carmorum potentia, Reipub. statum tutum & incolumem præstant, rem etiam militarem didicerit Consilia- rius noster, requiro. Militiæ genera intelligat, item ea quæ ad peditum equitumque ordinem, dispositio nem aciei, & disciplinam spectant; cognoscat locorum, montium, flu minum, vallium naturas, urbium situs, & quæ dari possunt similia. Nemo puto negabit, quod in Con sistorio magnorum Principum ſæ piſſimè consultationes fiant, de bello, de exercitu, de caſtris, de signo rum collocationibus, de commeatu, de inſidijs faciendis aut vitandis, de munierendis oppidis, de custodia ar ciūm, de prohibendis repentinis fi nitimorum hostium incursionibus, agrotū depopulationibus. Prætete ca, ut ſciat, quibus præſidiis instru cum eſſe oporteat militem, qui buſ

Cen-

Centurionem, quibus Duce m, qui bus alios in exercitu: quomodo col locandæ ſunt copiæ, quomodo du cendæ, quomodo metenda caſtra, quomodo configendū ſit, quomo do cavendum receptui, aut verò ho ſtis fugiendus, vel persequendus. Ide olim pauci in Senatum recipie bantur, quorum virtus non eſſet domi militiæque cognita; nulli autem, qui magistratus & honores in Re pub. prius non gessiſſet, ut eſſet

Pacis bonus bellique minister.

M. Portio Catoni de quo ante etiam dictum, nullam artem neque privatae neque publicæ rei gerendæ defu iſſe ſcribit Livius: Urbanas rusticás que res pariter callebat, ad ſummos honores alios ſcientia juris, eloquentia alios, gloria militaris provexit. Huic veratile ingenium ſic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum dices quodcunque ageret. In bello manu fortissimus, multisque inſi

E 2

Lib. 39.  
caſt. 40.

gni-

REGNI  
ET PO-  
PVLI  
privata  
cognitio.

gnibus clarus pugnis : idem post-  
quam ad magnos honores pervenit  
summus Imperator , idem in pace , si  
jus consuleres , peritissimus : si causa  
oranda esset , eloquentissimus . Quid  
verò peregrinatio , quid linguarum  
exoticarum cognitio , quid militiae  
scientia foris Consiliario prodest , si  
domi est ignorantia ? Accedat itaque  
in Consiliario , omnibus numeris  
absolutus audire si velit , peritia i-  
stius Regni aut populi in quo Con-  
siliarium agit . Consiliarius es Saxo-  
nicus , & respondebis ex jure Vandalico ? ridiculum . Consiliarius es Mo-  
scoviticus , & respondebis ex jure  
Helvetiorum ? ridiculum . Consilia-  
rius es Gallicus & respondebis ex ju-  
re Megapolitano ? ridiculum . Con-  
siliarius es Danicus , & respondebis  
ex jure Polonico ? ridiculum . Consi-  
liarius es Ungaricus , & respondebis  
ex jure Persico ? ridiculum . Consi-  
liarius es Polonicus , & respondebis  
ex jure Tartaroru ? ridiculum . Con-  
silia-

filiarius es Anglicus , & respondebis  
ex jure Arabico ? ridiculum . Consi-  
liarius es Belgicus , & respondebis ex  
jure Aegyptiorum ? ridiculum . Consi-  
liarius es Suecicus , & respondebis  
ex jure Siculorum ? ridiculum . Consi-  
liarius es Hispanicus & responde-  
bis ex jure Africco ? ridiculum . Consi-  
liarius es Italicus & respondebis ex  
jure Moscovitico ? ridiculum . Peri-  
tia , inquam , accedat Regni , in quo  
Consiliarium agit , ita ut norit , &  
qualia habeat jura , & qualia statuta .  
Notum enim est , quod nemo de ijs  
rebus sapienter differere aut alijs re-  
Etè consilium dare valeat , quas non  
novit . Et turpe est Jure Consulto  
jus in quo versatur ignorare , non  
minus quam gubernatori navis re-  
gendæ rationem non callere . Ad-  
eoque cum omnium humanarum a-  
ctionum finis esse videatur , ut aut  
mala vitentur , aut ut honor & utili-  
tas queratur , aut publicis rebus cō-  
sulatur , in pace , in bello : idcirco di-

L. 2. S. 43.  
ff. de Or.  
Iu.

Amirat.  
lib. 4  
disc. 7.

2. de O.  
rat.

Lib. 26.

2. de O.  
rat

De Off.  
c. 21.

ligentissimè singulorum mores cō-  
quirendi sunt, ut quæ ad res priva-  
tas publicasque pertinent, aptè per-  
suadere possimus. Et quemadmo-  
dum non esset inter bonos agricolas  
collocandus ille, qui etiam si tempo-  
ra serendi fruges, item oleas, vitesq;  
& earum propagines rejiciat, an li-  
benter innutriat, ignoret: Sic Poli-  
tici viri nomine & Consiliarij hono-  
re indignus ille est, qui hujus artis  
naturæ principum, populi, Reipub.  
cognoscendæ expers est. Nunquam  
satis mihi videor allegare posse præ-  
claram illam sententiam Ciceronis:  
ad Consilium pro Repub. dandum  
caput est nosse Rempub. Quam ex  
Platone hausit, qui in Phædro in-  
quit: In omni re consulendi princi-  
pium, est nosse id quo consilium est  
institutum, aut in totum aberrare sit  
necessæ. Idem Cic. Caput Reipub.  
est, perspectos habere Civium mo-  
res. Et alibi, omnes qui Rempub.  
gubernant, consilere debent, ut ea-  
rum

rum rerum copia sit, quæ sunt ne-  
cessariæ. Noscenda natura vulgi est,  
inquit Tacitus, & quibus modis tē-  
peranter habeatur. Unde Ulpianus  
eos qui mancipia vendunt, nationē  
cujusque in venditione pronunciare  
debere ait, eò quod nationem scire  
intersit. Præsumptum enim esse,  
quosdam servos bonos esse, quia na-  
tione non sunt infamati: quosdam  
malos videri, quia & nationes sunt,  
quæ magis infames habentur. Rectè  
porrò Tacitus, morum animorum-  
que provinciæ nisi sint gnari, qui de  
ea consultant, perdunt se & Rem-  
publicam. Etenim, ut Medicus, ita  
quoque Consiliarius, Reipub. dare  
consilium rectum non potest, nisi  
prius ejus temperamentum cogno-  
scat: atque adeò, quantò melius id  
cognoscit, tantò magis salutaria ipsi  
dat consilia. Igitur summo studio in  
id incumbet Consiliarius noster, ut  
ei optimè sit notum, quomodo ac-  
quiratur, crescat, augeatur, & per-

datur Respub. vel Principatus; quibus periculis sit obnoxius, quomodo iis possit & debeat occurri, ne capiat detrimentum: quomodo & quibus sit vincendus legibus: verum etiam qualibus egeat magistratibus, ut recte & sapienter gubernetur. Præterea hoc loco cœlum etiam spectatur, an sit calidum, frigidum aut temperatum: spectatur situs, an sit in continenti, an mari proximus, an aliquod flumen aut stagnum habeat, an declivis, aut vero sublimis, an siccus aut lutosus, an fertilis aut sterilis, an in vicinia, aut ab hostibus remotus, quibus denique ventis plerumq; sit expositus. Nam harum rerum respectu & ratione habita extruenda vel sic vel secus ædificia, & plateæ sive arctiores, sive ampliores struendæ: videndumque num uni apertæ vento, & reclusæ ab alio, num altæ & humiles habitationes, & omnia quidem ad usum utilitatemque publicam

cam sunt dirigenda, dando ijs magis convenientem formam, quæ videbitur expedire, sive illa rotunda sive triangularis fuerit, sive etiam quadrata & multorum punctorum, prout ipsæ res eorumque circumstantiae magis requirent. Consiliarius autem, qui hæc ignorat (quæ levia esse videntur præ cæteris requisitis) facile partem authoritatis & æstimatæ prudentiæ suæ perdet. Principem etiam & Aulam cognoscat ex omni parte, ut & cæterorum administratorum & Consiliatorum mores, omnem denique administrationem, quæ quantaq; sit omnis ditio Principis, quæ Provinciae, civitates, oppida, loca illi ditioni subjecta, Provinciae vero ipsæ quot millia passuum habent in longitudine, quot in circuitu, locorum, inquam ambitum, situm etiam; utrum montibus, mari, flumine, vallo, fossâ, lacu munita sint; quæ eorum opportunitates, & an commeatu prohiberi possint: an

E s sit

Arist. lib.  
I. Rhetor.  
c de reb.  
de quib.  
consiliū  
agitur,

Clapm.  
lib. 5. c. 12.

sit ubertas vel inopia rei frumentariae : quidnam in Principatu controversum, & cum quibus, quibus de causis, quæ ratio Provinciæ administrandæ, quibus rebus delectantur Cives, quibus se sustentent, quomodo erga Principem affecti: quodnam vestigial eorum, quæ evenuntur & invehuntur, portoria vocabant veteres, ex pascuis agrorū publicorum, ex sale, vino, oleo, frumento, ex mercatura omnium merciū, ex subditorum tributis : hæc enim ossa sunt & nervi Principis: quodnā ætrarium, an subditi nimis tributis, vestigalibus, aliisve oneribus premantur, an mercaturæ studio teneantur, an opibus abundant: quantus militum numerus in qualibet Provincia conscribi possit: quænā Principis familiæ origo, quæ coniunctiones, affinitates, & amicitiae, quæ fœdera, & quid ex ijs sperandū, quotūnam partes princeps defendendas suscepit. Et ad summam, in omnia

omnia etiam minutissima, quæ neglecta Reipub. vel Principatu detimento esse possint, omne studiū, curam, cogitationem & solertiam conferat. Prætero alias rationes, ne earum enumeratione sim molestus, cùm hæc nuda tantum sit admonitio: quam Tacitus paucis sic describit: Qui vulgi naturam novent, & quibus modis temperanter haberetur, Senatusque & optimatum ingenia perdidicerant, callidi temporum & sapientes credebantur. Variant namque ingenia, & sunt tām Civitatum, quām singulorum hominum mores: gentesque aliae iracundæ, aliae audaces, quædam timidæ, in vinum, in Venerem, prōniiores aliae sunt.

Multa & necessaria Consiliarij nostri requisita jam perceperimus, per quæ tamen portum ei nondum aperrimus: Exsolvat vestigial: Quodnam verò illud? Virtutes sunt morum. ô magnum vestigial! quis exsolvet? Ac-

Lib. 2.  
histor.

Livius  
45. c. 23. f.

Sequuntur Vir-  
tutes Me-  
rum.

E 6 qui-

FIDELI-  
TAS.

Kekerm.  
in Polit.  
Lib. I. c. 7.

In Orat.  
aa in ex-  
ordio.

quiesce Consiliarie, & animo præ-  
senti & virili sis, non omnia extor-  
quebimus, contenti erimus paucis,  
sed summè necessarijs. Redit ani-  
mus : dicite ergo, si mihi favetis  
quodnam sit primum vestigal. Al-  
tā voce pronunciamus! FIDELITAS.  
Fidelitas inquam, quæ virum con-  
stantem denotat, id est, Politice ac-  
cipiendo, eum, qui quæ promisit  
Principi suo, revera & firmissimè est  
servaturus, tam in bonis rebus eum  
admonendo, quam malis dissuaden-  
do. Hoc enim requiritur in Con-  
siliario fidelis, ut non tantum Consi-  
lia bona & salutaria Principi sugge-  
rat, sed etiam serio hortetur, ut quæ  
consulta sunt, Princeps exequatur:  
siquidem executio anima est consi-  
liorum. Consulere oportet lentè,  
consulta autem exequi festinanter,  
inquit Demosthenes. Executio enim  
est finis propter quem lex sancitur &  
consilia capiuntur. Affectum itaq;  
fidelem erga Principem ut habeat,  
dignè

dignè requiri videtur. Is siquidem,  
autore Jacobo Concenato, qui con-  
silium dat, nihil præstare debet præ-  
ter fidem & fidelitatem. Fidelitas  
candida est, candorem fidentem red-  
dat magnanimitas. Regium gerat  
animum necesse est, qui Regibus  
Consilio adesse satagit, Illum

Non Civium ardor prava jubentium.  
Non vultus instantis Tyranni  
Mente equitat solidâ, neque Auster  
Dux inquietâ turbidus Adriæ  
Nec fulminantis magna Iovis manus:  
Si fractus illabatur orbis,  
Impavidum feriant ruinæ.

D. Besold.  
Polit. lib.  
2. c. 3. § 3.  
n. 43.

Et quis non credet fundamentum  
Reipub. esse, ut subditi ament Prin-  
cipem, nec aliter erga eum sint affe-  
cti, quam liberi erga Parentes? At  
verò Consiliarius, cum sit subditus  
selectissimus, ut eum singulariter a-  
met, & erga eum fidelem animum  
gerat, quis negabit omnino necesse  
esse omnino id requiri in Consilia-  
rio? Sed objicies, quali modo erga  
eum, amorem promovere poterit? ec-

ce poterit commodè satis, si de Principiis negotiis, non de privatis sedulè tractabit; de Principiis commodo, utilitate, honore, prospiciet fideliter, & hoc in ipso Machiavellum imitabitur loquentem: Qui alterius Principatum in manu quasi habet, nunquam de se, sed Principiis commodo cogitare debet. Si, veterum annales ut revolveremus, temporis ratio ferret, me Christe, quot reperi-  
Gen. 41.  
vers. 33.  
 rentur fidelium Consiliariorū mo-  
 numenta? Legi in Sacris, Josephum Patriarcham expositis Aegypti Re-  
 gis somniis eidem consilium pru-  
 dens dedisse de viro prudente & sa-  
 piente procurando, quem consti-  
 tuat super terram Aegypti, per quem  
 accipiat quintam proventuum ter-  
 rā Aegypti, septem illis annis saturi-  
 tatis. Legi Jethrum, Sacerorum Mosis  
Exod. 18.  
vers. 17.  
 genero suo fidele consilium suppe-  
 ditasse, de onere publico & gravissi-  
 mo tolerabiliter ferendo. Legi Joa-  
 bum quoque Regis Davidis Consi-  
 lia.

filiarium ac copiarum præfustum, quum malo consilio & metà curio-  
 sitate Rex juberet populum Israëli-  
 ticum numerari, fideliter ei dissua-  
 dere conatum esse, dicendo: Adjicat  
1. Chroni-  
corum.  
 Jehova Deus tuus ad populū, quot-  
 quot sunt, centuplum, idque oculis  
 domini Regis mei videntibus. Do-  
 minus autem meus Rex quare dele-  
 etetur re hac? cur esset ad dandum  
 reatum Israël? Daniel Propheta: Ex-  
Dan. c. 4.  
vers. 27.  
 plicato Nabucadnezzaris somnio, de-  
 inde dixit; quapropter ô Rex (cui di-  
 ra à Deo prædicabantur) consilium  
 meum placeat tibi, & peccata tua ju-  
 stitiā abrumpe, & iniquitates tuas  
 gratiā erga afflictos, si forte erit pro-  
 rogatio tranquillitati tuæ. Legi quo-  
 que in prophanis Historiis de Con-  
 siliariorum fidelitate non pauca, ex  
 quibus placet Thomæ cujusdam,  
 Matthiæ Regis Ungariæ à secretis  
 addere: qui cum exacta prudentia, ut  
 Bonfinius narrat, integritate ac fide  
Decad. 1.  
lib. 1 p. 25.  
 sum-

L  
P  
  
Lib. 7. hi-  
storia Po-  
lonorum.

Tholos.  
I. 24. c. 3.  
n. 6.

Bonf. dec.  
1. lib. 3.

summa foret, item laborioso corpo-  
re, ingenio dextero & acuto, non  
plus sibi, quām Principi placuit assi-  
dua illi servitia & officia incredibili  
studio præstitit. Consimilem fidissi-  
mum Consiliarium habuit Lescus  
Albus Poloniæ Princeps, Govoritiū  
Lavitum Palatinum Sendomierien-  
sem, autore Cromero scriptore Po-  
lonico acutissimo: qui cùm Poloni  
ipsi Regnum offerrent conditione,  
si Govoritium relegaret, regnum  
repudiare quām hunc deserere ma-  
luit suum Consiliarium fidissimum.  
Sunt enim fidi Consiliarii, veluti ca-  
nes, qui ovibus adversus lupos sunt  
præsidio, quibus submotis vagantur  
in incerto principes, & multorum  
fallaciis & deceptionibus exponun-  
tur. Exinde appareto puto, Consi-  
liarium fidelem esse debere, nec uti-  
litatem propriam, principis ante-  
ferre, cui se fidelem obstrinxit futu-  
rum. Nam qui gubernationi salu-  
tique publicæ natus est, & in tanto  
fasti-

fastigio, divino numine collocatus,  
nulla privati affectus ratione à pu-  
blica utilitate, & æquitate divertiri  
debet. Nunquam enim huic crede-  
re potes princeps, admonet Machia-  
vellus, qui sibi magis, quām tibi pro-  
spectū vult; atque adeò in omnibus  
rebus gerendis, suam quærit utilita-  
tem & res privatas, quæ dicente Li-  
vio, semper offecere, officientq; pu-  
blicis consiliis. Sed proh dolor eo  
malitia humana est ingenio, ut alte-  
rius commodū, suum existimet de-  
trimentum, jamque paucissimi re-  
periantur, qui puro affectu Principi  
& Reipub. bene volunt; multi verò  
qui bona Principis, non Principem  
diligunt, & amici sunt, qui sinceri  
esse debent, non personæ, sed opum,  
ut Anton. Guevara graviter queri-  
tur, ubi addit: Commiseratione ma-  
ximâ prosequendus est Princeps,  
quem plerique non amore ipsius,  
sed beneficiorum, quæ ab illo expe-  
ctant, gratiâ seellantur: quod inde  
ma-

Lib. 2.  
c. 10.

In horo-  
log. Prin-  
cip. lib. 3.  
c. 58.

manifestum est, quia simul atque ille dandi finem facit, mox contempnere ejus majestatem incipiunt. De quibus illud Petronii dicere ausim,

Cùm fortuna manet, vulcum servatis amici,

Cùm cecidit, turpi vertitis ora fugâ.

Confiliarii infideles & adulatori.

2. Sam. 16.  
vers. 10.

Livius  
passim.

Qui his similes sunt, profecto non fideles, sed adulatores Consiliarii à quovis judicioso aestimabuntur. Nā quantum cœlum distat à terrâ, tantum ipsi à fideli Consiliarij meta, quē supra delineavimus, aberrant; & nunquam veritati consentaneum vel salutare Principi consilium suppeditant, imò potius animum proditionum gerunt, & id quod bonum putant, destruunt & omnia ad perniciem Principis dirigunt. Occurrit Achitophel adulator ille, Davidis Regis Consiliarius: at defectionis à patre & plurimorum scelerum Absolomo filio autor. In mentem plurimi alij veniunt turbatores Reipub. Romanæ Cassius, Brutus, Lépidus,

An-

Antonius, & eorum comites. Et reperiuntur alij, qui ad vitia suorum Principum tacent, atque per id malos Principes pejores reddunt, bonos corrumpunt, ut Caligula ex bono Principe, qualis erat ab initio, per adulatores redditus est monstru, tantumq; adulationibus intumuit, ut Deum se haberi, & suas in templis imagines apponi voluerit, quod & factum, demto templo Judæorum, qui ei restiterunt. Aliorum Regum, Principum, exempla non desunt, qui cùm se abutendos Consiliarijs suis tradiderunt, eorundem veluti nutum sunt ac præscriptum secuti, pessimè sibi atque subditis suis consuluerunt. Sergius Galba trium regebatur arbitrio ac consilio, quos unâ & intra palatum habitantes, ac assiduo adhærentes, Pædagogos vulgo vocabant. Hierant T. Junius, Cornelius Laco, & Italus His tribus se abutendum promittens ita tradidit: ut vix sibi ipsi constaret: modò

Suetonius in  
Caligula  
c. 22. & 51.

Cuspi-  
nianus in  
vita Ser-  
gi Galbae  
p. 29.

acer-

acerbior parciorque, modò remis-  
sor ac negligentior, quām conveni-  
ret Principi electo, atque illius æ-  
tatis. Quò respexit Laërtius. An  
non vides istos adulatores, qui tam  
noctu quām interdiu permulcent  
aures suis Regibus, nec tantum ap-  
plaudunt dictis eorum singulis, sed  
& prolixis eos ornant laudibus, quos  
tamen execrantur taciti, quantum-  
vis fausta ominando propalam? Pla-  
tonis dictum adducere æquum du-  
xi, qui varijs coloribus adulatorem  
depingit. Appellat enim eum bestiā  
omni humano generi pestilentem,  
& similem adfirmat impuro dæmo-  
ni, incautos animos subnoxiae volu-  
ptatis esca, continuè corporis sordi-  
bus inquinanti: & in Menexemo seu  
Epitaphio notat adulatorem præsti-  
giatoribus veneficiisque, tam priva-  
tum quām publicum persimilem,  
fure & homicidā deteriorem & ini-  
quiorem, qui non pecunias, non i-  
psam corporis vitam duntaxat aufe-  
rat,

rat, imd tanquam sacrilegus, rem  
sacram judicum, nempe rationis sub  
boni specie subripiat & subducat:  
pejorem & crudeliorem ipsā Circe,  
quantd gravius inferat detrimentū.  
Illa enim suis poculis, exteriora ho-  
minis fertur in bestias transforma-  
se: hic verò lenociniis suis interiora  
transformat. Nec dubito adhuc-  
dum in Aulis Principum reperiri  
posse tales adulatores, quorum uni-  
cus scopus est applaudere Principi, &  
in omnibus assentari, attentèque a-  
nimadvertere, cuius genij & naturæ  
sit, ut ijs commodum sese aptare pos-  
sint, quò morum congruentia sum-  
mum apud eum locum queant obti-  
nere. Sic olim Consiliarij Camby-  
sis Regis, cui sciscitanti, an suam li-  
ceret sororem in uxorem ducere?  
Regi licere respondent, quicquid  
velit. Talis Stratocles ille Demetrij,  
qui non raro, teste Plutarcho, illud  
usurpabat: Quicquid Rex Demetrius  
jubet, id esse erga Deum, sanctum,

Herod.  
lib. 3.Plutarch.  
in Deme-  
trio.

id.

Richter.  
tus axio.  
284.

Orat. 3.  
contra  
Philip-  
pum.

id etiam apud homines longè justificatum. Aequalis fuit & ille Anaxarchus Philosophus, magni illius Alexandri Consiliarius, qui dicere non erubuit, omne quod à Rege suscipitur, concessum & justum est. Ex his jam documentis, & pro utraq; parte exemplis gravissimis, tandem concludo, Consilium nostrum, si quid diligentius, certè assentationis studium in Consilio dando, in Principe erudiendo, vitare debere, & illud Demosthenis, Gracorum oratoris disertissimi, in corde semper habere: assentari & placida loqui in consilio Reipublicæ, perniciem maximam ei adserre. Et hæc de Fidelitate.

Jam novum desideramus vestigial, quod in hoc promontorio solutu usque adeo necessarium est, ut si desit, Consiliarii quoque haud postremum desit requisitum. Veritas quippe ut in Consilio insuper eluteat, salus Principis & Reipub. ef-

flagi-

flagitat. Hæc enim sola habet suum modum, sola in eodem statu manet, undecunque stabilis & firma, nulli incremento, nulli decremento obnoxia. Hæc apud probissimi cuiusque aures est omnium suavissima auditio: hæc item una præit omnibus illis, quibus est animus per labyrinthos rerum humanarum flexus rectâ evadere ad ceteras virtutes. Nec ulla virtus melius adiri potest, nisi per hanc unam, quæ est ex ipsarum sacratissimo cætu in hoc unum delecta. Quam ideo viri multiscij usq; ed magni fecerunt, ut eam vocaverint matrem virtutis, omnium virtutum certissimam & perfectissimam, atque adeo summum bonum. Veritati nulla res præscribit, nō spacia temporis, non patrocinia personarum, non Privilegia regionum. Hæc sensus hebetatos restituit, fallaces dirigit, errores reducit in viam, rebus deterit omnes fucos, omnia mendacia revincit, omnes errores

Langia  
de Verite-  
te,

fran-

VERI-  
TAS.

Libro de  
libero ar-  
bit.

In Orat.  
Vatin. i

frangit vi suâ. Quoties ipsa lèse ex-  
hibet, non inania, sed ipsam rem ex-  
hibet. Quis fortitudinē à temerita-  
te, constantiam à pertinacia, libera-  
litatem à profusione, amicitiam ab  
adulatione, parsimoniam separat à  
sordibus? quis non perverse omnia  
inspiciat non adhibitō speculo veri-  
tatis. Ecquis est tantā audacia, qui si-  
ne lumine ac ductu hujus virtutis  
hoc illūdve sibi compertum firmet?  
Nimirum veritas tota versatur in  
perspiciendo, quid sit in quavis re so-  
lidum, quid sincerum, quid æquum,  
quid justum, quænam sint rerum  
causæ, principia, progressus. Audia-  
mus de ea loquentem illum Theolo-  
gicæ militiæ antesignanū Augusti-  
num: Veritatis, inquit, pulchritudo  
nec multitudine audientium con-  
stipata excludit venientes, nec pera-  
gitur tempore, nec mitigatur locis,  
nec sensibus corporis subjacet. Au-  
diamus urbis conservatorem, ac pa-  
rentem Cic. tahtam semper poten-  
tiā

tiam veritas habuit, ut nullis machi-  
nis aut cuiusquam hominis ingenio  
aut arte subverti potuerit. Et licet in  
causis nullum Patronū aut defenso-  
rem obtineat, tamen per se ipsa defe-  
ditur. Qui alibi sic exclamat; ô  
magna vis veritatis! quæ contra ho-  
minum ingenia, calliditatem, soler-  
tiam, contraque fictas omnium in-  
fidias, facile se per se ipsa defendat.  
Audiamus hodierni seculi Politico-  
rum Principem Lipsium: Veritas est  
pura candidaque & immunis ab o-  
mni affectu. In summa eam non so-  
lum sacræ literæ, tanquam super o-  
mnia vincentem & prævalentem,  
requirunt & commendant, verum  
etiam scriptores prophani ad eam  
exosculandam & exercendam ho-  
mines invitant & exhortantur. Da-  
vid veracissimus integrum de bonis  
boni & fidelis ministri & Consiliarij  
dotibus & requisitis contexuit Psal-  
mum: & reliquas inter virtutes loco  
locat principe integritatem & veri-  
tatem.

Pro M.  
Caelio,

Cent. 2.  
Ep. 97.

Psal. 105.

F amo-

Syrac. 4.

amorem. Vir sapiens sapientissimè præcipit, veritatem etiam cum periculo vitæ propugnandam esse. Cui non absimile est illud Plautinum: Nolo ego te assentari mihi: ego verum amo; verum volo dici mihi: me-dacem odi. Et illud Martialis

Martial.

2. 75.

Dic verum mihi, Marce: dic amabo  
Nil est, quod magis audiam libenter.

Psal. 101.

Illud item Psalmis

Veritas simplex quibus est amor  
Hos amo, amplector, video libenter  
His mihi seros sociis senectus  
Implet annos.

Max.  
serm. 8.

Demosthenes aliquando interrogatus, quid Deo simile haberent homines? respondit, & quidem doctè: Benignè facere, & veritatem amare. Similiter Pythagoras summus Philosophus & vir doctissimus, interrogatus quid Deo simile facerent homines? cùm veritatem exercent, respondit, teste Stobæo. Quapropter cùm veritatis tanta sit necessitas, utilitas, dum non solum ex prophanis authoribus, sed ex sacris etiam scriptoribus commendatur, eam Consilia-

Serm. 11.

123

rius noster Principi suo non cebabit, sed cum quadam animi alacritate, sine ulla trepidatione, spreto omni metu omnique impedimento, liberè, apertè, sincerè proferet & pronunciabit. Plinius sanè in Panegyrico ad Trajanum: in Principis Consiliario requirebat libertatem, fidem, & veritatem, ut nimis libere, fideliter, constanter, non obnoxie & inconstanter suam dicat sententiam, nec aliud ore proferat, quād quod in corde reconditum habet. Optimò enim jure in Aulis Principum solus ille inter maximè familiares (& necessarios) recipiens est, qui verum dare Principi consilium audet; &, ut Tacitus inquit, cum fortunâ potius Principis loquatur, quād cum ipso. Contrà miser est imperator, apud quem vera retinentur. Quod Ovvenus egregio epigrammate testatur:

Desperanda salus qui verum audire refusat

Inque suum præcepit labitur exitium.

F 2

Quis

Guevar.  
horol.Princ. I. 2.  
cap. 43-1. hist.  
c. 15.Capitol.  
in Gord.  
jun 3. c. 25.  
In mo-  
nost. 17.

De benef.  
§. c. 30.

z. de offic.

Sophoc.  
Antigone.

Quis ignorat, Consiliarios vera reti-  
centes, ac falsa Principi suadentes,  
non tam se, quām publicam rem, at-  
que adeo Principem ipsum in casum  
dare? Fidem faciat imprimis Seneca:  
Non vides, inquit, quemadmodum  
illos (Principes) in præceps agat ex-  
stincta libertas, & fides in obsequiū  
servile submissa, dum nemo ex ani-  
mi sui sententia suadet, dissuadetque  
sed adulandi certamen est, & unum  
amicorum omnium officium, una  
contentio qui blandissimè fallat? ni-  
mirum vel spes eos plerosque abdu-  
cit à vero, vel metus: itaque fit, ut  
velut in vulpeculas versi, cætim dis-  
simulent, ac reticeant publicè utilia,  
& susque deque ferant, quorsum res  
evadat, dum non incurvant Princi-  
pis sui offensionem. Benè Cic. noster  
jam tum suo ævo hoc vidit, & depre-  
hendit plerosque esse, qui quod sen-  
tiunt etiamsi optimum est invidiæ  
metu non audent dicere. Et tamen  
vel Poëtæ sensu:

Linn.

Linguam cui suspendit inclusam metus,  
vt nunc ita olim, visus est semper pessi-  
mus.

At veritas odium parit, ut ait Teren-  
tius? quid tum? Profecto qui tale  
metuit odium, non dignus est nomi-  
ne Consiliarij: imò ut dicam quod  
res est, perjurus est. Scimus enim ju-  
ramento eum obstrictum, se cum fi-  
de, candore, integritate, quæ nove-  
rit, sentiat, intelligat, dicturum, &  
quæ meliora videbuntur ex animi  
sententia consulturum. Quod si i-  
gitur veritatem in Consilijs taceat,  
nónne fœdissimo perjurij criminé  
se involvit & inquinat? Qui verita-  
tem, inquit Augustinus, occultat, &  
qui prodit mendacium, uterq; reus  
est; ille quia prodesse non vult, iste  
quia nocere desiderat. Itaque gra-  
vissimi Tullii nostri dicterium &  
monitum gravissimum considera-  
bit & imitabitur, quod ita habet: In  
omnibus consultationibus, neque  
gratiā spectandam, neq; odio exi-  
libr. de  
agone  
Christi.

F 3 stimo,

Apud  
Dion. lib.  
44.

stimo, sed eam unumquenque sententiam dicere debere, quam ipse optimè censeat. Quid prolixius: bonus Consiliarius nullam gratiam, nullum odium verebitur, sed ipsam omnium virtutum matrem veritatem dicet, & adulationem (ut suprà dictum est) quam longissimè vitabit & fugiet, ne iram Dei tali facto, si veritati dissentanea suaserit, super se provocet. Gratijs enim litant illi, apud quos plus valet amor rerum terrenarum, quam ratio & Dei timor. Sed his ingero, quod Sanctus ille Doctoꝝ scribit: Quisquis metu cuiuslibet potestatis, vel lucri cupidine ductus, veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem, vel caducas res magis amat, quam Deum. O felices igitur, quibus convenit illud Euripidis:

August.  
ad Casul.  
v. lib. 1.  
de Civit.  
dei. c. 9.

— Haud enim securim si manibus tenens

Aliquis cervici esset in cussurus meꝝ,  
Conticerem, jure si contradicere possem

Epa-

Epaminondam animo magis, quam pallio Philosophum, & Thebanorum Principem, inter alia tam severum veritatis cultorem fuisse legimus, ut ne joco quidem mentitus sit. Idor Abbas etiam veritatis studiosus fuit, de quo tria commemorat Heracides in sua historia: quod nunquam sit mentitus: nunquam alicui maledixerit: nunquam citra necessitatem locutus sit. Inter quam plurimos alias Phocion Atheniensis, à veritate, orisque libertate maximè prædicatur. Nam cùm oraculo constaret, esse Athenis virum, qui à concordi Civitate dissentiret: querentibus & indignantibus multis: quæso quiescite, inquit, ego ille sum, quem quæratis, nam mihi nihil eorum quæ agitis placet. Morte illi constituit veritas; sed æternis monumentis fama consignavit. Quin & illud manifesto manifestius, certo certius est, Consiliarium qui officium cum juris iurandi religione suscipit, ut sincere &

Alex. ab  
Alex. lib.  
9. c. 10.

Theat.  
Zwing.

Plut. in  
Phocion.

F 4 fide-

fideliter, quod sentit, profiteatur, si fecus faciat, tum officium & conscientiam nefariè violare, tum Deo ipsi, cui se juramento obstrinxit criminis reum se constituere, neque accidente etiam ullà consuetudine id ei licere: siquidem cum à divino pendeat præcepto, ut nemo alteri mentiatur, non potest id per consuetudinem quæ à voluntate hominis proficiscitur abrogari, sed potius mens veritati cedat, pravum usum lex & ratio vincat. Et tantum etiam dictum puto de veritate.

Jam subsequitur flosculus novus Constantia, quæ tanquam perpetua Comes, à veritatis latere non recedit: quam Consiliarius, ut prædicta omnia haud postremè sibi commendatam habebit. Nihil siquidem est, Tullio authore, quod tam deceat, quam in omni re gerēda, consilioq; capiendo servare constantiam. Hæc commendatur singulis ab Evangelistis

CON-  
STAN-  
TIA.

de Offic

Matth.  
vers.37  
2.Cor.  
vers.17

listis & Apostolis, commendatur à scriptoribus Politicis variis variè, de qua Virgilius ita canit.

Mens immota manet lachrymæ volvuntur 4. Aeneid.  
inanæ.

Et Ovidius:

Nectædia cœpti  
Villa mei capiam dum spiritus iste ma- 9. Meta-  
nebit. mor.

Cur non? non enim satis est veracem esse, ac ingenuè judicare, quid expetendum fugiendūmve sit, sed gradum figere oportet, stare inquā præsenti ac constanti animo in eo quod semel deliberatum judicatumq; sit. Natare non debet animus noster, sed sibi constare. Itaque meritò circumscribuntur, & consilio sapientum exiguntur, qui ex aliena libidine: huc illuc fluctuantes agitantur, interdum alia, deinde alia decernunt; ut eorum qui dominantur, similitas aut arrogantia fert, ita bonum malumve publicum existimant; vel qui aliud stando aliud sedendo, de Re-

Sallust. in  
Cæs. de  
Rep. ord.  
orat. 2.p.

127.  
Pseudo  
Sall. in  
ne orat. in  
Cic. p. 132.

F s pub.

pub. sentiunt. Verùm enim verò hic ratio & circumstantiæ considerandæ omnino occurruunt: nolim enim ita constantem intelligi, nec est mens mea, ut quidvis potius patiatur quam sententiam (quæ calculo aliorum Consiliariorum non satis de revel utilitate Principis deprehenditur) mutaret. Quis dubitabit minimis fieri momentis maximas temporum mutationes? Livium audi: Quid quæque dies aut nox ferat, incertum est: puncto sàpè temporis maximarum rerum momenta vertuntur. Proinde non est turpe, cum re mutare consilium. Nam consilia rebus aptantur, res nostræ feruntur, imò volvuntur: consilium sub die nasci debet, oportetque eos, qui in Reip navi sedent, tanquam in talorum jactu, ad id quod accederit res suas aptare, qualiter id cunque ratio esse dixerit. Quam eandem in sententiam & Cic. ad Lentulum scri-

Cic. 5.  
Phil.

Lib. 3.  
c. 27.

Senec.  
lib. 4. de  
benef.  
c. 38.

Sen. ep.  
71.

Plato de  
Rep. 1. 10.

Lib. 1. ep  
fam 9.

bit: Non permanendum est viro sapienti patriæque amanti in una sententia, rebus conversis ac prioris consilij causis & rationibus immutatis: sed temporibus assentiendum. Non semper Medicus propinat ægro medicamentum quod præscriperat aut apud se concluserat. Non semper nauta eum tenere cursum potest, quem incepit aut exoptat. sed ut ille medicamenta ad mutationes in corpore ægri, ita hic eundem sàpè mutat & partim velificatione, partim recto cursu ad portum tendit, non ut vult aut inceperat, sed prout ventus spirat. Nempe omnibus ijs, qui consilium dant, non idem semper dicendum aut faciendum est, quod vellent, aut quod semel statuerant, sed quod opportunitas suadet. Qué admodum verò Medicus sanitatem ægri, nauta portum, ita salutem Reipub. immutati ne Consiliorū perpetuo spectabit noster Consiliarius. Nec levitatis maculam propterea

Lib. 4. de  
benef. c.  
38.

Continus  
in Pol.  
lib. 7. c. 13.  
Virtute  
14.

3. Offic.  
Lib. 1. de  
Ira c. 9.  
c. ma-  
gnæ 22.  
q. 4.

Pro L.  
Maurz.

metuat. Audiat Senecam: Non est levitas à cognito & damnato erore discedere: & ingenuè fatendum est, aliud putavi, deceptus sum. Et quis levitatis argueret, malum in bonum, bonum in melius commutare? Si via te recta incedenter aliquis compendii facilitoris admonet, mox sequerere; id non faceres pro salute Reipub. Nam sicut in errore pertinaciter perseverare dementis est. ita ex certa causa urgente eadēque superveniente mutare consilium in melius prudentis est. Nemo enim, ait Tullius, mutationem consilij inconstantiam dixerit. Quotus enim quisque est quem non aliqua pars ignorantia attingat, secundum Senecam? Et autore Augustino, magna sapientiae est, revocare hominem, qui male locutus est. Non talis pertinacissimæ constantiae opinio mea, quam Zeno Stoicorum ille patronus, quem dicere solitum M. Cicerio refert, Sapientem, sententiam

mu-

mutare nunquam: sed Livium potius, melius recurrere è medio cursu, quam male currere. Accidit enim sèpè, ut ex abrupto, & non ita deliberate consilium detur, quod magis in perniciem quam augmentum spectat: illud nonne melius mox infringere, quam postmodum ex detimento jam acquisitum dolore exclamare, non putar? Eleganter, & hoc congruè Divus ille Augustinus monet. turpe est mutare sententiam, sed veram & rectam, nam & stultam & noxiā, & laudabile & salubre est. Sicut autem constantia non sinit hominem depravari, sic pervicacia, non sinit corrigi, proinde sicut illa laudanda, sic ista est emendanda. Et aliud est emendare, ut ex dictis supra patet, sententiam vel consilium pessimum, aliud constantem in re clarâ & optima esse vel manere; quam partim per amorem patriæ vel Principis, partim per juramentum, mutare haud de-

In Afir.

Epist.  
214.

F 7 cet,

cet. Attendat illud Senecæ: Sapiens non semper it uno gradu, sed una via. Et alibi: Non mutat sapiens cōsūlum, omnibus his manentibus, quæ erant cum sumeret. Ad omnia cum exceptione venit, si nihil inciderit, quod impedit. Talium nomen & palmā Socrates Coryphæus ille Philosoph dicit: Hic cum aliquando Consiliarius fuisset (verba sunt Xenophontis) Senatoriumque iusjurandum jurasset, quo continebatur, secundum leges Consiliū daturum, qui cognitor populi fieret, cumq; populus contra leges voluisse: novem illos duces qui cū Thrasyllo & Erasynide fuerant, communī omnium sententia interimere, noluit ille suum calculum adjungere. Neque aut iram populi aut indignationem potentium timuit, sed pluris fecit sacramentum servare, quā populo & Magnatibus præter justitiam placere & gratificari. Quòd re-  
ctè lectat illuq; Ovidianum:

Nec

Nec piget aut unquam stulte elegisse vi- debor

Permanet in voto mens mea firma suo.

O quām dignus is qui in Senatu vel consilijs Principium similiter, ut hic consistit, nec latum quidē unguem (quod fortè eveniret in perniciem) deflectit, vel ad nutum aliorum loquitur! Animadvertisimus quanta Socratis hujus apud omnes probos memoria, quæ ab ipso facinore viguit, & viget adhucdum florentissimè, vigebitque in ævum. Et hactenus etiam satis de Constantia me dixisse puto, quā tamen nondum acquiesco, nec colophonem requisitus hīc impono, sed porrò recens requiro lytron, illud si abfuerit, non ex præcipuis consimile abesse apparebit requisitum. At inquires, quod nam illud, & cur tam in copia? est, ut verbo dicam, Mansuetudo: Mansuetudo inquam sive humanitas illa, quā prælucere debet Consiliarius, ac quæ minus atque currus rotis, aut na-

Ovid in  
Epist.MAN-  
SVE-TV-  
DO.

De Orat. L.

2. Thess. 5.

Eccl. 10.

Bonf. dec.  
1. lib. 5.Ad Ver-  
cel. super  
Lucam  
lib. 5.

navis carinâ deficere potest. Nihil est, verbis ipsius Cicer. utar, tam regium, tam liberale, tamque munificiū, quām opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis homines: At hæc unde proficisci possunt? non aliunde sanè quām ex mansuetudine, quæ præscribitur nobis ab imitatoribus Christi, dum alicubi sic habetur: corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes: alicubi aliter: filii mi, per mansuetudinem gloriam animæ tuæ concilia, & eam honore quem meretur, affice. Et quis hoc non facilè fecerit qui ad tanti Regis obsequia non modò se natum, sed divinâ clementiâ ab æterno delectu & prædestinatum esse reputaret? Ut manifestus id ipsum eluceat, pone-  
ra æqua lance Patres, inter quos pri-  
mus est Ambrosius, Vir suavi, erudi-  
tâ & gravi eloquentia præditus, dum sic loquitur: Beatus qui severitatem & man-

& mansuetudinem tenet, ut altero disciplina servetur, altero innocentia non opprimatur. Hieronymus etiam ille Theologorum Homerus, nobis adstipulatur, dum inquit: Mi-  
tis est quem non rancor vel ira affi-  
cit, sed omnia æquanimiter sustinet, non irritat, nec irritatur, non nocet, nec nocere cupit. Aristoteles man-  
suetudinem quodam in loco descri-  
bens dicebat, virtutem esse animosæ  
facultatis, quā prædicti ægræ moventur ad iram. Mansuetudinis autem est, posse moderatè ferre objecta cri-  
mina & contemtus, nec celeriter ra-  
pi in ultiones, nec facilè moveri ad  
iras, sed moribus communem esse,  
ingenioque quieto & stabili. Hæc  
aureolâ virtute, hac virtutum mode-  
ratrice mansuetudine Consiliarius  
si coruscat, procul erit à contumacia,  
procul à pugnacitate, quā nihil  
deterius in Consiliario autumo, atq;  
ita facilè & libenter in quotidianis

Lib. 1. de  
Virtutie  
bus.In Rhe-  
tor.

con-

congressibus alios alloquetur , alios leviter, non fastidiosè audiet, alijs nō duriter , sed benignè respondebit. Palmam inter alios reportat Regni nostri Hungariæ Rex Matthias , qui nullo benignitatis & liberalitatis officio poterat expleri erga omnes supplices . Quid Alexander Magnus? eum scribit Plutarchus & beneficū & justum & beneficum & suavissimum omnium Regum in familiari consuetudine & omnibus gratijs ornatum fuisse . Quid Cyrus? nōnne mansuetus & humanus fuit? de quo prolixius Xenophon . In Augusto Cæsare, & quibusdam alijs , præsertim ijs, qui doctrinā exculti fuerunt, ad cœlum usque extollitur Mansuetudo ab Historico annotata, in quā recensenda brevitatem amans , lubens supersedeo . Ac quantoperè hos supra nominatos Principes virtus Mansuetudinis commendat, tantò magis Consiliarium nostrum talem esse exopto, ut nempe omnibus vi-

Bonf dec.  
4.lib.7.

Plutarch  
in Alex.

In Pædia.

ribus intendat mansuetudinis exercere exercitium , dum præsertim omnia acta, omnes querelæ (ut plerūque fit) citius, ad ejus quam ad Principis aures perveniant.

Mansuetus haec tenus fuit noster Consiliarius, proindeque proprius ad vadum accessit, proprius dico, sed nondum omnino. Jam enim, quod æquè in maximis ponendum, Taciturnitatē rogamus, optimū illud atque tutissimum rerum administrandarum vinculum , quæ omnia consilia cùm pacis, tum belli, tuta facta que facilita reddit, quæ si retegerentur, magnas habitura forent difficultates. Scilicet, quemadmodum pulveris pyrij vi & impetu , si occultus ille, res magnæ patrantur, ipsis autem authoribus exitio est, si hosti innotescat: ita Principum consilia, si silentio clausa sint, magnum & efficacē in gerendis rebus usum præbent: palam facta, omnem illicet usum vigorēmque armittunt: præser-

Val. Max.  
lib. 2. c. 2.

TACI-  
TURNI-  
TAS.

tim verò in rebus bellicis. Quod ar-  
gutē Plautus

In Mil.  
Glor. act.  
3 sc. i.

Nam bene consultum inconsultum est, si  
inimicis sit usui:  
Neque potest, quin si id inimicis usui est,  
ob sit mihi.  
Nam bonum consilium surripitur satis-  
fimè.  
Si minus cum curā aut catalogo loquen-  
di lectū id est.  
Quippe si r̄esciverint inimici consilium  
tuum,  
Tuope consilio tibi occludunt linguam,  
& constringunt manus:  
Atque eadem quæ illis voluisti facere fa-  
ciunt tibi.

In libello  
de bellis  
appa-  
ratus § 8.

Ideò Leo Imperator ad filiū ita scri-  
bit: In occultis & abditis fideles ad-  
hibe tibi & temperantes viros & ta-  
citurnos, & qui in suā & non alio-  
rum potestate sunt, cùm secretæ res  
istæ ut secretiores fiant, minimè ad  
cognoscendum multitudine indi-  
gent. Consiliarius igitur Principis,  
quia est pars corporis ejus, ut Arca-  
dius & Honorius Imperatores lo-  
quuntur, ideò non nisi cum voce  
Principis voluntatem & mentem  
ejus

L. quis-  
quis s. C.  
Adel. Iul.  
Maj.

ejus exponere debet. Quod si, qui  
amici consilium de re privata aperit,  
omnium odio meritò dignus habe-  
tur, (etenim qui commissum sibi in-  
star depositi sermonem divulgat,  
aut in justus est, aut admodum in-  
continens, injusus quidem, si lucri  
causa id faciat, sui absque lucro in-  
continens: quod Anaxandridam di-  
xisse memorat Stobæus ) quonam o-  
dio dicemus dignum illū, qui Prin-  
cipis sui consilium de Reipub salu-  
te, de propriâ dignitate, de publico  
officio, contra tām sanctē datam fi-  
dem magno magistratuū contem-  
ptu & damno evulgat? Igitur per-  
pendet probéque perpendet hoc  
carmen.

Eximia est virtus præstare silentia rebus  
At contrā, gravis est culpa tacenda  
loqui.

Ovid. lib.  
2. de arte.

Inter magnas Magni Alexandri res  
hæc verè magna & memorabilis le-  
gitur: quod cum arcana quasdam  
literas Hephaestionis Consiliario suo  
legen-

Plutarch.  
in Apoph.  
& orat.  
prima de  
Alex. for-

tunā &  
Lipſi-  
not. ad  
lib. 3. c. 5.

Eccles.  
42.

De Mori-  
bus.

Plut in  
Moralib.

Tob. v.

legendas tradidisset, quibus criminis & delectationes contra Antipatrum continebantur, detractum annulum ori ipsius admovit, hoc ipso innuens, Consiliariorum ora & linguis obsignatas esse Principis sigillo debere. Cave ergo o Consiliarie arcana consilij revelare, & eris verè sine confusione & invenies gratiam in conspectu Principum: ac cum Seneca in hoc enitere, ut libentius audias, quām loquaris, quod tacitum velis, nemini dixeris. Auribus frequenterius quām lingua utere: quicquid dicturnis es, antequam alijs, tibi dicteris. Ut Monas non exit suum finē, sed semper in uno manet, unde & nomen habet: dyas autem initium differentiæ infinitū, protinus enim per se duplicatur ad multitudinem: Ita sermo donec apud unum manet, verè arcanus est & secretus: quod si ad alterum transferit, jam spargitur in famam. Etenim quis negabit sacramentum Regis abscondere malum

lum esse? Historici gravissimi effatum gravissimum imbibendum & in venas animi immittendum: Res magnæ sustineri ab eo non possunt Q. CURE.  
cui tacere grave est: huc convenit: lib. 4.

— Comissa tacere  
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Roma-  
ne caveto.

Horat.  
Saty. 4.  
lib. 1.

Eleganter itaque, Isocrates duo Tempora dicendi facit: vel de quibus scis manifestè; vel de quibus necesse est dicere: in his enim solis sermo silentio melior: in alijs vero præstantius tacere, quām loqui: quod hoc distichon applicandum puto:

Nobile lingua bonum, si fari in tempore novit:  
Nobile lingua malum, si fari in tempore neficit.

Borbo-  
nius.

Exemplorum initium unde sumam prius, qui ob taciturnitatem amplissimas laudes meruere? Nobilitavit Ammia-  
Reges Persicos consiliorum & Con-  
siliariorum taciturnitas, apud quos nemo consiliorum particeps erat, præter optimates, taciturnos, fidos, apud

Ammia-  
nus lib.  
21. c. 26.  
pr.

Diod. Si-  
cucus 2.  
cap. 2.

L 38 §. 1.  
ff. de pos-  
nis.

Lib. 7. c. 2.

Ibidem.

apud quos & silentij quoque numen  
colebatur: imò veteri eorum disciplinâ, arcana Regum vitæ pericu-  
lo custodiri sanxerunt. Nobilitavit  
Ægyptios Consiliorum & Consilia-  
riorum taciturnitas, quibus lex erat,  
quæ judebat abscindi illi linguam,  
qui arcana Reipublicæ, quæ tecta es-  
se debent, alicui detexisset. Et meri-  
tò, nam incassum sunt consilia, si ante-  
quam exequaris, detegantur. No-  
bilitavit Romanos consiliorum &  
Consiliariorum taciturnitas, qui en-  
nunciatores publicorum consilio-  
rum ut trans fugas vivos exuri, & in  
malam crucem agi, furcisque suspé-  
di debere statuerunt. Adeò magna  
charitate patriæ, inquit Val. Max. o-  
mnes teriebantur, ut arcana consilia,  
patrum conscriptorum multis secu-  
lis nemo senatorum enunciaverit.  
Unde eorum curiam (in tanto alio-  
quin numero Senatorum) silentio  
sic undiq; clausam fuisse memorat,  
ut non dicam unum, sed neminem

au-

audisse crederes, quod tam multo-  
rum auribus fuerat commissum.  
Notabile est, & minimè prætereun-  
dum quod de Eumene Rege Asiae  
scribunt Historici. Is enim cum Ro-  
manam venisset, & Regem Persennam  
Pop. Rom. hostem, in Senatu accu-  
sasset, ac de bello cum Patribus deli-  
berasset, in præsentia nihil præter-  
quam fuisse in Curia Regem scire  
quisquam potuit: bello denique per-  
fecto, quæque dicta à Rege, quæque  
responsa essent emanavere. Mira  
(merito exclamat Lipsius) & diu-  
turna silentii fides. Prædicanda &  
laudibus extollenda Consistorij Spi-  
rensis constitutio: ubi inter alia hoc  
legitur; in senatu gesta, dicta, judi-  
cata, æterno silentio tegunto: nihil  
injussum Cæsaris revelanto. O utile  
scitu & omnibus Consiliariis imi-  
tantum, quod eruditus ille Saxo-  
num Præsul B. Anshelmus ita in-  
culcat.

Livitio  
lib. 42.  
c. II.

In Notis  
ad lib. 2.  
pol. c. 5. f.

Ord p. 1.  
tit. 13 § 51.

G

Lin-

Lingua suos habeat frānos in corde lī-  
gatos.

Lib. 3. t. 5.  
de Instit.  
Reip-

Val. Max.  
lib. 3. c. 3.

Nam, ut inquit Patritius: Lingua m  
coērcere, quam dentium vallo natu-  
ra munivit, non mediocris pruden-  
tia est; Res enim magnæ difficulter  
silentur, verbum autem emisum  
numquam revocari potest. Sensit  
id ipsum & verè sensit Pompejus  
vir sui seculi fama inclitus, atque  
diligenter imitatus: qui dum Lega-  
tionis officio fungeretur, à Gentio  
Rege interceptus, cum Senatus con-  
silia prodere juberetur, ardēti lucer-  
na admotum digitum cremandum  
præbuit, eaq; patientia Regi simul,  
& desperationem tormentis quid-  
quam ex se cognoscendi excuslit, &  
expetendæ populi Romani amicitiæ  
magnam cupiditatem ingeneravit.  
Mirus sanè & stupendus viri animus,  
tali taciturnitate obfirmatus. Didic-  
erunt tandem taciturnitatem per-  
petuam Consiliorum servare Areo-  
pagitæ Senatores Atheniensium, de-  
qui-

quibus propter insigne arcanorum  
silentiū abijt in Proverbium: Areo-  
pagita taciturnior. Elogium hoc in-  
signe Catoni quoque tribuit Plutar-  
chus, eum nullum unquam verbum  
emisisse, quod emissum doleret. Et  
profectō memorabile & venustum  
est illud Demosthenis apophtheg-  
ma: Illi oris fœtorem cum quis ob-  
jiceret: bene dicis respondit, ac mi-  
rum non esse, multa enim secreta in  
eo computruerunt.

In ejus  
vita.

Max.  
serm. 20.

Et hactenus bonà fide Consilia-  
rius noster exsolvit vēctigalia. Ve-  
rum quia jure receptum, consue-  
tudine approbatum, neque etiam  
abrogandum est, ut ne quis Pestilen-  
tiā infectus ad loca salubria admitta-  
tur, jurabit le tales non esse. Ne-  
que certè mihi sermo est de corporis  
peste, sed de infectione animi, quæ  
omniū est perniciōsissima. Juret et-  
go bona fide Consiliarius, se non fo-  
re præcipitem & confidentem, ma-  
ximè dum agitur de instituendâ, cō-

Consilia-  
rius vita-  
bit in Cō-  
siliis  
PRÆCIL-  
PITAN-  
TIAM.

Tholos.  
24. c. 6.  
§. 7.

Richt a.  
zio: 141.

Lib. 31.  
c. 32.

Gellius  
1. io. c. 11.

servanda, & defendenda Repub. ne-  
gotijsque ejus gravioribus, belli ac  
pacis. Præcipitania enim est consilijs  
inimica & prudentiæ adversa:  
Præcipitania parit errores, quos  
magnæ calamitates comitantur. In  
Cunctatione multa insunt bōa: quæ  
etiam si primā fronte non apparent,  
tamen progressu temporis percipiū-  
tur. Itaque sit, ut, recte Livius ait, ce-  
leritatem pœnitentia, sed eadem se-  
ra, atq; inutilis sequatur: cum præ-  
cipitata raptim consilia neque revo-  
cari, neque in integrum restitui pos-  
sint. Cæsar Augustus suo tempore  
hoc vidit & quondam expendit, quæ  
ut testatum cunctis faceret, quan-  
tum Reipub afferat detrimenti in-  
consulta celeritas, & dicere in ser-  
monibus & scribere in Epistolis so-  
litum esse ajunt. Festina lente: di-  
ctum omni quidem hominum ge-  
neri aptè conveniens, sed præcipiū  
quibus

Com.

Commissi populi, ac tam multa negocia  
curæ.

Homer.

Animadvertisit etiam Thucydides,  
author ut elegantissimus, ita gravif-  
fimus, dum ita de festinatione scri-  
bit: duo sunt acerbissima rectæ men-  
ti: prudentique Confilio: Celeritas  
& Ira: nihilque magis consiliis tam  
inimicum, quam celeritas, quæ cum  
impetus quidam sit, & verò judicio  
Statij Poëtæ Politici

— mala cuncta ministret  
Impetus: —

Thucyd.  
lib. 3.

Stat. 10.

idcirco turbat rationem & intelle-  
ctum hominis, quo minus recte per-  
cipere & prospicere ijs omnibus pos-  
sit, quæ in ipso discrimine pericli-  
tantur. Quod probè observavit A-  
ristides apud Philostratum, qui jus-  
sus à Marco Imp. dicere de quæstio-  
ne sive materia, quam propositurus  
esset subito &, ut loqui cōsuevimus,  
ex tempore, animosè respondit, ho-  
die propone, & cras audies: non e-  
uim ex ijs sumus, qui vomunt ora-

Lib. 2. de  
vitis So-  
phist.

G 3 tio-

Lib. 24.  
c. 2.

tiones, sed ex ijs, qui cum cura eas meditantur. Maturanda igitur pu-  
to consilia cum Tholosano, non fe-  
stinanda, quæ enim matura sunt, nec  
excedunt, nec deficiunt, neque præ-  
coccia sunt neque decrepita. Et ve-  
rissima vox est illa Luciani:

Tardum consilium longè præstantius est:  
Præcepis autem semper habet comitem  
pœnitentiam.

Lucian.  
in Andro-  
logia &  
Sallust.  
in Catil.  
Lib. 7 c.  
10 post m.

Quod respexit Arthabanus apud He-  
rodotum: Festinare quod vis nego-  
tium, gignit errores, unde maxima  
detrimenta oriri solent. At in cun-  
stanto bona insunt, quæ & si non  
statim talia videantur, tamen in tem-  
pore bona quis esse reperiet.

Quis non crebet quod Plutarchus in vita  
Fabij Max. scribit: M. Fabij cuncta-  
tio plus vicit Annibalem & Rem-  
pub. Romanam nutantem conser-  
vavit, quam Q. Minutij pugnandi  
fervor & nimia celeritas seu potius  
temeritas Annibali gratissima; qui  
gaudebat vehementer, cum intelle-  
xisset, Romanos adversus se mississe

Fla-

Flaminium & Sempronium calidi ac  
fervidi ingenij viros: at verò metue-  
bat graviter illum cunctatorem Fa-  
bium. Quare Corbulonis præcepto,  
compositius cuncta, quam festinan-  
tius agite o Consiliarij. Nam fe-  
stinatio improvida est & cœca: quam  
proinde error sequitur, errorem in-  
felicitas, infelicitatem pœnitentia.

Tacit. 15.  
Ann.

Considerabis, & sèpius probeq; con-  
siderabis, pessimè agi cum tali, qui  
præcipitania sua totam Rempub.  
pessimè dedit. Considerabis, & sèpius  
probeque considerabis, quod nulla  
res possit esse eadem festinata simul  
& examinata. Considerabis & sè-  
pius probeque considerabis præcla-  
rissinam illam vocem Livij: Consi-  
lia calida & audacia primâ specie lœ-  
ta, tractu dura, eventu tristia esse. Cō-  
siderabis & sèpius probeque consi-  
derabis, exempla eorum qui consi-  
lijs suis præproperis, se & Principes  
suos in pernicie barathrum præci-  
pitaramunt. Nam (ut primò ex sacris

Livius  
lib. 22. c.  
39. f.Aquil de  
dict. Socr.lib. 31. c.  
32. f.

z Samuel.

23.

Strigel.

z Reg. 12.

Richt. a-

ziom. 145.

aliquid pateat) consilium quod Jonadab Ammoni filio Davidis dabat, de vi comprimenda sorore Thamar, et si prima specie blandiebatur stultis affectibus, tamen exitu erat tristissimum. Sic mali Consiliarij Rehabeam, adulantes in justis cupiditatibus Domini, occasionem præbuerunt, non modò distractioni duodecim tribuum, sed etiam novis idolis, & perpetuis bellis Civilibus. Quot notatu digna & partim deploranda exempla nobis suppeditant antiquorum Historicorum Ephemerides! Mardonius Xerxem Regem cupidum gloriae, & elatum fiduciâ humanae potentiae, incitavit ad mouendum bellum non necessarium, suo calido & inconsulto consilio. Verum quale fuit hoc consilium? triste sanè. Nam Xerxes post pugnam ad Salaminam, cymbâ in fugam se dedidit. Mardonium vir Spartanus interficit conjecto lapide in caput ejus. Hic fuit exitus ejus viri: qui

præ-

præcipue hortator præceps fuerat ejus belli. De Cnejo Pompejo quid dicam? nunquid & is in felicem pugnam illam Pharsalicam pugnavit, quod maximo atque copiosissimo exercitu confidens, præprope rē prælium cum Cæsare commisit? Quid multis opus exterorum exemplis? non deest patriū, ô si nunquam patratum! Ludovicus hujus nominis secundus Hungariæ Bohemiæque Rex in flore ætatis suæ (agebat enim 21. ætatis annum) dignus certè longiori vitâ, infelix Rex, cum nescio imprudentiore an inauspicato consilio, cum exigua militum tumultuariorum & magna ex parte rusticorum inermium manu, contra exercitatisimas copias Solimanni communis Christianorū hostis, stare non dubitaret, propè Mohacium in rivulo miserè extinctus est. Itaque sapienter dictum ab A. Gabino apud Dionē: Præproperam temeritatem in rebus gerendis multoties damnū.

G 5

affer-

Dio. lib.  
42.Ioh. Sam-  
bucus in  
rerum  
Vnga-  
ricarum  
appendi-  
ce qui est  
in Bonfi-  
nio P.  
756.

Lib. 36.

Marcel.  
lib. 16.

Philip.  
Cominæ  
us lib. 3.  
committit.

Tacit. 3.  
Annal.

Val. Max.  
lib. 9. c. 8.

afferre: contra accuratam considerationem ab initio adhibitam in actionibus perdurare, omnibusque emolumento cedere. Non sine causa à quovis doctiore Julianus Imperator laudatur, quod providus fuerit & cunctator: quod præcipuum bonum in magnis ductoribus, open ferre solet exercitibus & salutem. Potest etiam non sine insigni laudis commemoratione Ludovicus XI. Galliarum Rex adduci, qui quam maximè providus fuerat in arduis deliberationibus, atque ita undique se communiebat, simul aliquid constituerat, ut vix unquam falleretur, aut expectatione sua caderet: quis mitetur? cum exemplis omnis ævi constet, Principes providendo, consultando, cunctatione sapienter temeritate prodesse. Temeritatis si quidem & subiti & vehementes sunt impulsus: quorum iactibus hominum mentes concusse, nec sua pericula

di-

dispicere, nec aliena facta justa æstimatione prosequi valent. Animadverit hoc Leo Imperator: quare bene & prudenter filium suum monebat: delibera tardè, nisi aliqua necessitas celeritatem requirat; at ubi consulueris, si nullum impedimentum sit, festinanter exsequere.

Dicitum aureum & utile, nedū in bellis, sed & in Civilibus. Ubique enim tarditas in consilio requiritur; at in exequendo maturato opus est. Unde Carolum V. Imperatorem solitum dicere legimus, totam Principum fortunam & felicitatem potissimum consistere in consilijs & eorum executione: & consiliis quidem judicio opus esse; exsequitione vero celeritate & multa fiducia: tarditatem animam consilij esse, celeritatem exsequitionis: utramque porro simul junctam esse debere, apud eos, qui laudem boni Principis & Consiliarii prudentis, ducere volūt.

De appa-  
ratu bel-  
lico can-  
9.

Sau ovi-  
nus de di-  
cis & fa-  
ctis Caro-  
li V.

G 6

Quod

Quod Camerarius vir Doctiss. egre-  
giè hoc disticho includit:

Embl. 33.  
sent. 3.

Et tardus nimis & præcepis nimis esse ca-  
veto;

Hil sicut medium, qui inter utrumque  
tenet.

At vereor, ne quis objiciat mihi, me  
multa de vitandâ celeritate loqui, ac  
nihil admittere vel præter tardita-  
tem cum judicio? id ipsum puto: du-  
ctus rationibus & exemplis supra al-  
legatis; verum in certis casibus; nam  
est modus in rebus, & sunt certi fines.  
Noceret enim cunctatio nimia ubi  
est necessitas accelerandi: Quippe  
ut festinatio supra dicta & celeritas  
ex causis quas diximus reprehendi  
meritò potest: ita contrà cura ni-  
mia & perpetua dubitatio ac mora  
vitio quoque non caret. Sicut enim  
serotini partus & qui diu in nixibus  
harent, & periculosi sunt & infirmi,  
ita consilia nimis diu consultata &  
periculosa sunt, & ut plurimū nul-  
lius rei, qualia esse solent acricu-  
lorum

Tholof.  
lib. 24.  
§. 3.

lorum quorundam, qui disputare &  
sermocinari magis norunt, quam  
suadere, natantque semper in con-  
siliis, & tempus sœpè terunt, milium  
quod dicitur terebrando. Atqui ut  
cordatè olim Lambertus Musca Flo-  
rentinus ad suos dicebat: Multa pon-  
derando & ubique difficultates<sup>1</sup> inji-  
ciendo, nihil concluditur, res perpe-  
trata caput habet: & deliberationes  
periculosa, quantò accurritius per-  
penduntur, eo segnior constitui su-  
scipiique solent, ut loquitur Machia-  
vellus. Caput autem consilii non  
est in acumine aut sermonum ratio-  
numque copia, sed in directa qua-  
dam judicij norma, sitque ut pluri-  
mum, ut sicut celeritas prudentiæ, i-  
ta mora occasione documento sit.

Piccard.  
obs. Pol.  
dec. II.  
c. 10.

Adeoq[ue] admittendam celerita-  
tem, nec simpliciter repudiandam  
puto, ubi videlicet, res, occasio, tem-  
pus, locus, exigant, nec aliter pericu-  
lum vitari possit, quod jamjam præ-  
sens est. Quisenim non videt, in con-

Lib. 2. fol.  
39.

Ratione  
necessita-  
tis celeri-  
tas ad-  
mittitur.

filio maximè consideranda esse præsentia, investigandaque quæ congruant præsenti tempori, quod (ut Comicus inquit) rerum omnium est primum. Philosophi sapientissimi dogma hoc est: Non tantum præsentis, sed vigilantis esse, occasionem observare properantem. Est enim occasio anima actionum & rerum omnium benè gerendarum mater. Celerrima Aquila est temporis, opportunitas & occasio inquit Nicéphorus: quæ ad pedes advolans capi à quopiam potest, si aufugiat, in altum aërem eos qui se persequuntur ridet, neque ut ad eos redeat in annum reducit. Quod rectè Polybius confirmat: Dominatur occasio in cunctis rebus humanis, maximè vero in Bellicis. Egregiè Thucydides & hic congruum in suis Historiis apposuit: Aggressuros, inquit, aliquid juvat occasio, quæ cū se offert, præter opinionem, etiam si vires alioqui minores sunt, incitat ut periculum

culum adeant, præcipue Civitates &c. Quid annon omnium etatum Historiæ humanarum rerum quotidiani eventus docent, plura negotia opportunitate occasionum, quam viribus esse rectè confecta? Exemplo sit illud Mithridatis monitum apud Justinum: In bello utendum occasione, & rapienda incrementa virorum, & Romanos alijs bellis districtos invadédos, ne, si illis occupatis ipsi quieverint, mox adversus vacuos, & quietos majus negotium habeant. Non enim queri, an capienda sint arma, sed utrum suā potius occasione an illorum. Enim verò in subitis arduisque periculis, nihil est festinatione tutius, in quibus rapienda sunt consilia non quaerenda, nec verbis aut sententijs diu concertandum, ubi res perurgent, & occasionses præcipiti prorsus casu fluunt, nam hic proximum quodq; consilium tutissimum est inquit Lencius. Et hoc est quod Vegetius etiam vult:

Terent.

Seneca.  
cp. 22.Cic. apud  
Dion.  
lib. 45.Lib. 10.  
c. 22.Lib. 9. hi-  
stor.

Lib. 10.

Die. lib.  
45.Lib. 38.  
c. 5.p.Lipf. in  
notis ad  
lib. 3. pol.  
c. 7.Observ.  
Polit. 61.

Lib. 3. c. 9.

Ioseph. in  
Iud. Hist.  
lib. 2. c. 16.

Lib. 9.

Sophocle.  
Phil.Lib. 25.  
c. 33.

Lib. I.

vult: In rebus asperis & tenui spe fortissima quæque consilia tutissima. Meminerit Consiliarius, dum navis est salva promptè consulere & providere, ne evertatur; postquam enim fluctus exsuperat, inane est studium. Itaque magni æstimet illud Polybij: oportunitatem temporis ex circumstantiis cognoscere. Nam ut Tragicus Poëta inquit:

Momentum haud exiguum confert  
Rebus agendis oportunitas:  
Consilia omnia superat.

Ideò benè L. Marcius in oratione, quæ extat apud Livium: Si in occasione momento, cuius prætervolat oportunitas, cunctatus paululum fueris, nequidquam mox omisam queraris: præsertim autem in bellicis, quæ semel neglecta nō nisi summis discriminibus recuperantur. Sic Themistoclis apud Thucydidem commendatur illa vis animi, quod fuerit in subitis consilijs inveniendis, cum res postularet, excellens. Sic in hi-

storia

storia Romana laudatur Tullus Hostilius Rex & Papyrius Censor, propter consilia salubria inter ipsa pericula inita. Sic, Tacito teste, Cerialis, subitus consilijs, sed eventu clarus. At ubi ista non adsunt, quæ passim hic attigi, occasio, tempus & summa necessitas: tertia duco lenta consilia, & audiendum atque observandum Vatis hoc monitum:

Da spaciū tenuēnque morā: mala  
cuncta ministrat,

Imperius —————

Lib. 5.  
hist. c. 21.Statius  
Io. ver.  
698.

Nam pro rerum ac temporum circumstantijs, tam in bellicis, quæ Civilibus casibus, consilia si dirigen-  
tur, non aberrabit Consiliarius no-  
ster ab opinione mea & suo officio.

De peste animi magnâ quidē ju-  
ravit Consiliarius noster, sed non-  
dum de maxima: quænam verò ma-  
xima pars pestisfit, paucis porro at-  
tingam. Juret ergo rursus bonâ fide  
Consiliarius, se non fore AVARUM.  
Perpendite quæsō, quid de eo sibi  
Princeps ac Magistratus polliceri pos-  
sit,

Vitabie  
AVAR-  
TIAM.

fit, qui selle rapacior, voracior purpurā, quo tandem cunque modo ditescat? vel quod judicium in eo, qui pecuniis semper adstupet? quod cōsilium in deliberationibus, cuius mens de cumulandis Thesauris vagatur? imo quæ fides in eo esse possit, qui bonum publicum spenit, privatum sollicitè quærit & ambit? Nimirum nihil pensi neque sancti habet præ utilitate privata: imo

Euripi-des.  
1. Tim.  
c. 6. ad  
Ephes.  
c. 5.

Nihil sapit, nec vult, quod æquum & fas sit. Quid quæris? consentiunt Juris di-vini & humani Prudentes, Avaritiam ut nimiam habendi cupiditatem, esse omnium malorum radicem, matrem & idolorum servitutē. Quod respxit elegantissimis versibus Clau-dianus.

In laudi-bus Stili-conis.

In Catil.  
c. 10.

At pravam scelerum matrem quæ semper habendo,

Plus sitiens patulis rimatur faucibus aurū Trudis avaritiam &c.

Avaritia secundum Sallustium, si-dem, probitatem, cæterasque bonas artes subvertit, pro his superbiam, erup-

crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere docet. Avaritia pe-

Idem.  
c. 11.

cuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupivit, imo quæ quasi venenis malis imbuta, corpus animumque effæminat, semper infinita, insatiabilis est, neque copiæ neq; inopiat minuitur. Comprobat id ipsum vir ille ex Philosophis & ora-toribus sapientissimus Cicero: nullum est vitium tetrius, quam avari-tia, præsertim in Principiis & Ré-pub. gubernantibus. Quod Syraci-des etiam docuit, nihil esse iniquius,

z. Offic.

Ecc. 10. quæ amare pecuniam: avarus enim, & animam suam venalem ha-bet, quoniam in vita sua projectit intima sua. De eadem audiamus Au-

In epist.

gustinum: Avarus, ait, vir inferno est similis: Infernus enim, quantoscū-que devoraverit, nunquam dicit, sa-tis est: sic etsi omnes thesauri conflu-xerint in avarum, numquam satis habebit. Quæ est ista aviditas con-cupiscentiæ, cum & ipsæ belluæ ha-beant

**Idem de  
verbo  
Domini.**

**Idem lib.  
de doctri-  
na Chri-  
stiana.**

**Lib. 3. c.  
leg. 7.**

**Sat. 14.**

**Anton.  
Gvevar.  
in horol.  
princ.lib.  
3. c. 25.**

beant modum! Tunc etenim rapiunt, quando esuriunt: parcunt verò prædæ, sentientes satietatem. Quæ est illa animarum insania? amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum & perdere cœlum? Avarus est cæcus, credendo enim dives est, non videndo. Amas pecuniam o cæcæ? quam nunquam videbis, cæcus moriturus es, quod possides, hic relieturus es. De eadem Avaritia audiamus canentem Properium:

Ergo sollicita tu causa pecunia vita es,  
Per te immaturum mortis adimus iter:  
Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes;  
Semina curarum de capite orta tuo.

Huic accinentem audiamus Juvenalem:

Inde ferè scelerum causæ, nec plura venenæ  
Miscuit, aut ferro grassatur sèpius ullum  
Humanæ mentis vitium; quam sèvæ cupidio  
Indomiti census. Nam dives qui fieri vult,  
Et cito vult fieri: sed quæ reverentia legum,  
Qui metus, aut pudor est unquam properan-

tis avari?

Adeo fœdum, malum, odiosum, periculosumque avaritiæ crimen est,

ug

ut si persequi mala, quæ complecti-  
tur, omnia stilus meus conetur, per-  
inde futurum sit, ac si undam maris  
exhaurire velim; cuius enim pectus  
avaritia occupat, eum vitiis servire,  
& idola adorare cogit. Benè igitur  
& plus quam benè à Val. Max. dictū:  
ij demum Penates, ea Civitas, id re-  
gnum æterno in gradu stare potest,  
ubi minimum pecuniæ cupido sibi  
vendicat. At cur inquies? quia à qui-  
bus abest studium lucri, abest etiam  
voluntas peccandi, & causa fallendi. Laet.  
Etim. lib.  
1. divin.  
instit. c. 4.  
Sed de avaritia Senatorum sive Con-  
siliariorum, audiamus illum Roma-  
narum rerum Historicū Celebratissi-  
mū Sallustium, unde patebit, cur ea  
fugienda, & quām sit perniciosa.  
Multo, inquit, maximum bonum  
Patriæ, Civibus, tibi, liberis, postre-  
mò humanæ genti pepereris, si stu-  
diū pecuniæ aut sustuleris, aut quo-  
ad res feret, minueris: aliter neque  
privata res, neque publica, neque  
domi, neq; militiae regi potest. Nam  
ubi

In orat. 2.  
ad Cesa-  
rē. p. 126.

ubi cupido divitiarum invasit, neque disciplina, neque artes bonæ, neque ingenium ullū satis pollet, quin animus magis aut minus maturè, postremò tamen succumbit. Et paullò infra: Cæterùm, avaritia bellua fera, immanis, intoleranda est, quod intendit, oppida, agros, fana, atque domos vastat: divina cum humanis permiscet, neque exercitus neque mœnia obstant, quod minus vi suā penetret: famâ, pudicitâ liberis, patria atque parentibus cunctos mortales spoliat. Quid Sophocles loquatur, capite vobis avari:

Etenim nihil hominibus perinde noxiū:  
Evertit urbes propriis è sedibus  
Domoque cives excutit, docet animos,  
Mutat bonos, ut se ad malas res applicent:  
Fallacias quasvis struere quibuslibet.  
In rebus omnibus agere impie

Quæ omnia, venustè tribus quasi  
verbis expressit alias,

Id nem peditis, omnium quod est caput  
Malorum: Avaritiam mihi quum nomi-  
nas.

Rejicit eam ipsam avaritiam Thucy-  
dides:

In Anti-  
gonâ.

Menan-  
der.

dides: ubi quatuor requisita boni Consiliarij ponit. I. Ut possit intel- ligere quæ in rem sint, & prudentiâ valere. II. Ut possit etiam oratione explicare illa, quæ prudenter ani- mo concepta gerit: Et rationē hanc addit, nam licet quis optimè sentiat, id verò in medium aptè proferre nequeat, perinde est ac si nihil in- telligat, juxta Persianum illud: Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter. III. Ut sit amore Rei- publ. insignis. IV. Ut sit invictus pecunia. Quod postremum nisi ad- sit, omnia cætera corraunt.

Quare cum certo certius jam cō-  
stet avaritiæ in omni Republ. tam de-  
trimentum quām nocumentū, ita-  
que liberalitatí potiùs, beneficentia-  
re, quæque hanc comitantur, morum  
facilitati, comitati, humanitati, mi-  
sericordia, benevolentia, & hospi-  
talitati studebit Consiliarius noster;  
atq; Polybium imitabitur, qui Afri-  
canum suum crebro monebat, ne  
prius

In Orat.  
Periclis  
lib. 2.

Plutarch.  
lib. 4 q.  
convival,

Bion.

Chrysost.  
1. ad Tim.  
Homil. 2.

prius è foro domum reverteretur,  
quām beneficijs aliquem, vel ex ijs  
qui occurrisserent, sibi devinxisset.  
Nam quemadmodum radix omniū  
malorum & omnis improbitatis  
metropolis est avaritia, & habendi  
cupiditas, ita radix & fons inexhau-  
stus omnium bonorum omnisque  
virtutis est beneficentia & charitas.  
Et quemadmodum adversi quidam  
ac furentes venti, si in mare placidū  
irruant, ipsum funditus vertunt, ad-  
eo, ut arena profundi superiū mi-  
sceatur undis: ita & pecuniæ cupidi  
omnia penitus milcent, omnem sta-  
tum Reipub. evertere satagunt. Te-  
stes sunt & plus quam testes veterū  
documenta, quæ passim memorant  
Romanæ Reipub. corruptionē po-  
tissimum ex Avaritia ortam esse. De  
avaritia enim ejus Petronius Arbi-  
ter inter cætera agens, quæ eam, &  
ad ignotissimas regiones ejus causa  
penetrare suaserat, addit:

Nec

Nec minor in campo furor est, nitidique qui-  
rites

Ad prædam sceptrumque lucri suffragia ver-  
tunt.

Venalis populus, venalis curia patrum  
Est favor in pretio Senibus quoque, libera

virtus  
Excidet, sparsisque opibus conversa po-  
testas,

Ipsaque majestas auro corrupta jacebat.

In Satyri-  
cis.

Quis fuit M. Scaurus Consularis  
Urbis Rom. & in Senatu Princeps?  
qui amore thesauri & pecunia-  
rum, tametsi à principio (ut Sallu-  
stius meminit) plerisque ex factio-  
ne ejus corruptis acerrimè Jugur-  
tham impugnaverat, nihilominus  
tamen magnitudine pecuniæ à bo-  
no honestoque in pravum abstra-  
ctus est. Quis fuit Lucius Bestia Cal-  
purnius, Consul? qui amans pecu-  
niā & munera sese corrumpi pas-  
sus est: de quo ita idem Sallustius:  
Nam in Consule nostro multæ bo-  
næq; artes animi, & corporis erant,  
quas omnes avaritia præpediebat:  
patiens laborum, acriingenio, satis

In Iu-  
gurth.  
c. 29.

In Iu-  
gurth.  
c. 28.

H

pro-

providens, bellum haud ignarus, firmissimus contra pericula & insidias.

Sallust. in  
Iugur. c.  
33. 34.

Quis fuit Caius Baebius Tribunus plebis Rom. quem similiter magnâ mercede corruptum legimus. Quis fuit M. Crassus? quem quinque dona habuisse scribunt historiographi, quod esset Nobilissimus, quod Juris Consultissimus, quod Eloquentissimus, quod Pontifex Maximus, quod Ditisissimus Quiritum post Syllam: at omnes has virtutes & bona fortunæ amplissima avaritiæ sordes obscurarunt. Quantam culpam quam leviter retulî! Lumen curiae, ornementa fori, quod scelus vindicare debebant, inhonesti lucri capture invitatati, auctoritatibus suis texerunt. Quis fuit Pippus Florentinus, ille ex Scalariorum, familia natus, ac Sigismundiolim, patriæ meæ, Regis Ung. præfectus militum? qui cum auspiciis Sigism. Regis præclara facinora contra Venetos gessisset; tandem pecuniâ ab his corruptus, dimissâ Provin-

ciâ

Plut. in  
Apoph.

Val. Max.  
lib. 7.c.4.

Bonf. dec.  
s. lib. 3.

ciam quam occupaverat, in Ungariam iterum redit, verum ad suæ vitæ interitum: nam detectâ viri avaritiâ comprehendendi hominem jubet Sigismundus, & infuso in os auro enecari. Causa ademptæ potestatis regnandi à domo Samuelis illa ponitur in Scriptura Sacra, quod filii eius non ambulaverunt in viis Patris, sed declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera & perverterunt judicium. Huccitat potest illud quod Cic. alicubi habet: nullum est officium tam Sanctum atque solenne, quod non avaritia comminuere ac violare soleat. Pecuniis enim non modo corda mollia & muliebria franguntur, sed durissimæ etiam cautes rupesque rumpuntur. Ergo ut alibi habet Cic. si populo consulis, remove te à suspitione aliquius commodi tui: fac fidem: te nil nisi utilitatem populi & fructū quaerere. Extollendi sunt & summis laudibus afficiendi illi, qui nullo

1. Reg. 8.

Pro  
Quint.Horol.  
Princ.  
lib. 2.c.2.De I.A.  
grax.

H 2 auro,

Eutrop.  
lib. 2.  
Rom. an-  
tiq.

āuro, nullis opibus sese corrupti  
passi sunt: quorum primas meretur  
Fabricius Consul Romanus, quicunq;  
Legatum à Romanis ageret ad Re-  
gem Pyrrhum ( qui adversus Rom.  
Tarentinum auxilium tulerat ) ut cū  
Rege de redimendis captivis transi-  
geret, postquam à Rege sollicitare-  
tur, fertur quartam Regni partem ei  
à Rege promissam, ut Romanis de-  
stitutis ad se transiret: verum nec i-  
sta etiā quantumlibet maximæ spei  
ostentatione, permotus Fabricius, à  
suscepto negocio se abduci passus est.  
Nec dispar exemplum in Helvidio  
Prisco: Iis cunctis vitæ officijs æqua-  
bilis erat, opum contemptor, recti  
pervicax, constans adversus metus.  
Laudandi præterea sunt Q. Fabius  
Gruges, CN. Pictores, Q. Ogulinus,  
reversi ex legatione, quam suscep-  
rant ad Ptolomæum Regem, mune-  
ria quæ ab eo privatim acceperant, in  
ærarium, & quidem priusquam ad  
Senatum legationem referrent, des-  
tule-

tulerunt, de publico scilicet mini-  
sterio nihil cuiquam præter laudem  
benè administrati officii accedere  
debere judicantes: Vel illud Senecæ  
imitantes, oportere illos esse in sen-  
tentiis justos, in verbis veraces, in a-  
ctionibus honestos, in exercenda ju-  
stitia mites & ante omnia in accipiē-  
dis domis abstinentissimos. De A-  
varitia copiosè satis dictum puto.

Adstringet insuper Confiliarius  
noster fidem suam & jurabit, Iracun-  
diæ morbo se non laborare. Neque  
enim hic morbus ipsi tantum obest,  
sed & alios ita inficit, ut nullum anti-  
doton reperiiri queat, quo virtus  
hoc pestilentissimum possit expelli.  
Rectè Sallustianus Cæsar: Omnes  
homines qui de rebus dubiis con-  
sultant, ab odio, amicitia, ira, atque  
misericordia vacuos esse decet. Haud  
facile animus verum providet ubi  
ista officiunt, neque quisquam o-  
mnium libidini simul, & usui parait,

Horolog.  
Princ. lib.  
3. e. 6.

Vitabie  
I.R.A.  
C.V.N-  
D.I.A.M.

Catil.  
c. st.

H 3 ubi

Lib. 5.  
moral.

ubi intenderis ingenium, valet: si libido possidet, ea dominatur, animus nihil valet. Magna mihi copia est memorandi qui reges atque populi irā, aut misericordiā impulsi, malè consuluerunt. O voices gemmeas, & memoratu dignas! Ecce habet in promptu magnus Cæsar multos Reges ac Populos, qui irā impulsi malè consuluerunt, & mirabitur quīsq[ue]am? Quis nesciat ex privatis affectionibus ferè omnem humanæ vitæ perniciem nasci. Summa cura itaque Consiliarius noster, si est subitō iratus, refrænet, affectus consiliorū, ex omnibus verò iram quam maximè. Hæc enim lues quam sit contagiosa, & Divi Patres, & Politici animadverterunt, & gravibus sententijs nos edocuerunt. Per iram, attestante Ambrosio, sapientia perditur, ut quid, quo ordine sit agendum nesciatur omnino: quia nimis intelligentiæ lucem ira subtrahit, cum mentem permovendo confundit.

fundit: per iram justitia relinquitur: quia dum perturbata mens iudicium sine ratione exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat: per iram gratia vitæ socialis amittitur, quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est ut bestialiter solus vivat: per iram concordia rumpitur: per iram lux veritatis amittitur: quia cum menti iracundia confusionis tenebras concutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. Cicero quid sentiat percipiamus: Ira inquit procul absit, cum qua nihil recti, nihil considerate fieri potest: quæ enim cum aliquâ perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt, neque iis qui adsunt probari. Quod ipsum sentit Plutarchus sic ajens: ut per nebulam corpora, sic per iram res videntur majores. Itaque

Haud tuta in irā consilia capi queunt.

Vel ut prudenter Nazianzenus: Nemop er iram tutò deliberat: quæ e-

Lib. 1. of.  
fic.

Plut. de  
irā.

Menand.

H 4. nim

nim per iram fiunt, nunquam consilio dant locum. Nimisrum quod affectus iste turbet munus animi, videlicet rationem: siquidem ut Seneca loquitur nihil diligenter in fluctu cernitur; Et ut quidam ait:

— Ira mentis omne consilium premit.  
Vel quod alibi Seneca loquitur  
Cum spirat ira sanguinem nescit regi,  
Iratu nihil, nisi crinina loquitur.

Lib. 3. de  
ira.  
Simpli-  
cius cap.  
11. Epist.

In Thy-  
ste trage-  
dia. 2.

Laert. in  
eius vita.

Adeoque si neque Sacrae neque Prophanæ suasiones Consiliarium nostrum movent, moveat illum historiarum multifaria lectio. Ex infinitis exemplis vel hæc paucula tantu intelligat. Legimus Biantem Prienæū clarum sapientiâ virum, solitum dicere, bono consilio duo maximè contraria esse: iracundiam scilicet & festinationem: quod illa sic hominis judicium intervertat, ut nullus consilii capax videatur, hæc verò veri disquisitionem impedit, hoc est, consulta reddat, nec maturescere si-

nat.

nat. Laudandus itaque meritò Consiliarius ejusmodi, qui contrarium facit, nec ira se obrui patitur, ac cum Poëta

— Diis proximus ille est  
Quem ratio non ira moveret.

Memorabilem & non omittendam inscriptionem in Curia Ratisbonensi in marmoreâ tabula aureis literis refert Schœnbornerus his verbis: Quisquis Senator, curiam officij causa ingredieris, ante hoc ostiū privatos affectus omnes subjicio: iram, vim, odium, amicitiam, adulacionem, Reipub. personam & curam subjicio. Nam ut aliis æquus aut iniquus fueris: ita quoque Dei judicium expectabis, & sustinebis. Benè & doctè decantavit Seneca de talibus, qui consilium adeunt:

— Pone vefanos precor  
Animi tumores teque pietati refer.

Quis nō admittet, eos qui prædictis scatent affectibus, consultores esse pessimos, qui frequenter & Civitates & regna bellis committunt &

H § deni-

In Pol. c.  
24. lib. 2.

In The-  
baide.

Lib. 3. c. 2.  
de ira.

denique pellundant? Vedit id olim & probè animadvertisit ille exactæ sapientiae vir Seneca: Sapè in iram, inquit, uno agmine itum est, viri, fæminæ, senes, pueri, Principes, unusquisque consensere, & tota multitudo paucissimis verbis concitatatorem antecessit. Ad arma protinus, ignesque discursum est, & indicta finitimus bella, aut gesta cum Civibus. Totæ cum stirpe omni crematæ domus &c. Violavit legationes, rupto jure gentium, rabiesque infanda Civitatem tulit, nec datum tempus, quo resideret tumor publicus, sed deductæ protinus classes & oneratae tumultuario milite. Sine more, sine auspicijs populus ductu iræ suæ egressus, fortuita raptaque pro armis gessit, deinde magna clade temeritatem audacis iræ luit: & alibi idem: Nihil ergo habet in se utile, celer ille & hostilis affectus; at omnia è contraria mala, ferrum, ignes pudore calcato cædibus inquinavit manus,

Lib. 3. c.  
41. de ira.

manus, membræ liberorum dispergit, nihil reliquit vacuum à scelere, non gloriæ memor, nō infamia metuens inemendabilis, cum ex ira in odium occuluit; haec tenus ille. Sit igitur (ut me jam ab hac peste expediam) talibus affectibus præditus Consiliarius noster; nempe sit animo patienti, & magno cum silentio querelas audiat libenter, quæ et si plerunque auribus ingratæ, & nullis aut certè puerilibus & ridiculis argumentis fultæ sint, attamen haud dicentis oratione interrumpet: quin imo nec finitæ subito contradicet, vel in contrarias rationes erumpet. Notabit in animo suo, quod sapientes de illis qui statim contradicunt vel interloquuntur sapienter dixerunt: Qui prius respondet quam audiatur, stultum se esse demonstrat. Sit inquam comis in loquendo, humanus in audiendo, non morosus in respondendo, aditu facilis, neminem expectando fatiget, verecundos & ti-

H 6 mi-

In Crasso.

Dec. 4.  
lib. 7.

midos erigat, cives pariter & extei-  
ros summa benevolentia admittat,  
nullorum preces fastidiat, ne de ipso  
dici possit, difficilius esse famulum  
alloqui, quam dominum. Hoc si fe-  
cerit fiet non solum ad tantum mu-  
nus idoneus, sed omnium etiam be-  
nevolentiam & favorem conserva-  
bit. Adebat M. Crassus quem Plutar-  
commendat quod nulli civium un-  
quam patrocinium suum non lu-  
bens impenderit, nullum non salu-  
tarit. Adebat Matthias Ungariæ Rex  
quem Bonfinius ita extollit propter  
solam ejus humanitatem: Non so-  
lum, inquit, proceres, Nobilesve mi-  
lites officii gratia, sed gregarios quo-  
que visitavit, in castris ægrorū chari-  
tate contubernia lustravit, sæpè lan-  
guentes propria manu pavit, jenta-  
culaque porrexit: hortabatur ad cō-  
valescendum, increpitabat pusilla-  
nimes, & desperatos consolabatur,  
sæpè in acie vulnera obligavit. Ex  
hoc igitur officii genere mirificam  
omni-

omnium fidem sibi comparabat.  
Quis dubitabit, si Cōsiliarius noster  
similiter fecerit, eum non laudari,  
Satis de irâ.

Deposito hoc juramento, adhuc  
porro desideramus aliud, quod tan-  
quam amissim prius sequitur, vide-  
licet ut deponat & juret se vitaturū  
Discordiā omnem in Consilijs dan-  
dis vel exaudiendis. Et, si mea opi-  
nio nihil obtinet, obtinebit tamen  
aliorum doctorum virorum autho-  
ritas. Hanc dissuadet Cicero, cum  
dicit. Neque Civitas in seditione  
potest esse beata, nec in discordia do-  
minorum domus, quo minus ani-  
mus à seipso dissidens, secumq; di-  
scordans gustare partē ullam liqui-  
dæ voluptatis & liberæ possit: Atque  
pugnantibus & contrariis studiis,  
consiliisq; semper utens, nihil quietè  
videre, nihil tranquillè potest. Hanc  
dissuadet Livius: discordia Reipub.  
venenum: dissuadet Tacitus: Ma-  
lum extremum discordia: dissuadet

Vitabit  
DISCOR  
DIAM  
inter Cō-  
siliarios.Lib. r. de  
finib.Dec. r.  
lib. 3.

Annal. 4.

Lib. 4.

Lib. 5 de  
bello  
Gall.

lib. 7.

Lib. 4. de  
Orinest.In Iu-  
gurth.  
.c. 10.Langius  
de di-  
scord.

Polybius: Si primarii duces dissimiles discordesque sint, nihil in exercitu perniciosius accidere potest: dissuadet Jul. Cæsar: in dissensione inquit, nulla salus conspicitur: & alibi: Magna ex dissensionibus incommoda oriri solent: dissuadet Paulus Orosius: Discordia infelicitate exagitate, nulla unquam tempora vel prospera vel domi quieta ducuntur: dissuadet Sallustius nomine Micipæ Regis, qui ad filios suos ita locutus: Ego vobis regnum trado, firmum si boni eritis, si mali imbecillum: nam Concordia res parvæ crescunt: Discordia maximæ dilabuntur. Etenim quam optabile bonum Concordia, tam detestabile malum Discordia est: quam illa est humano generi salutaris, tam hæc est furialis, feralis, monstrifica. Et quantum concordia cœlestè bonum congregat, tantum discordia, infernale monstrum, dissipat. Quicquid illa firmitat, roborat, extendit, hæc disgragat,

gat, debilitat, extinguit. Et talis sanè non solum non est in portu, sed ne in ullo quidem vado. Nunc enim in summo fluctu est, nunc eò deturbatur, ubi ima dehiscunt: modo in his, modo in illis partibus, hoc unum assequitur, ut se intimè conficiat. Adeoque cum ita rejiciatur discordia, revera consilio inutilis existimandus est is, qui talibus vitijs & perturbationibus laborat. Dissidet siquidem ab alijs, cedit nemini, omnibus refragatur, denique melius, pejus profit, oblit, nil videt, nisi quod lubet. Imo ausim dicere, qui hoc contentionis morbo infectus est, interitum omnibus humanis societatis bus, nedum Principibus, sibique struit, atque parat. Pulchrè veréque Prudentius.

— Scissura domestica turbat  
Rem populi, titubatque foris, quod dissidi-  
det intus:

Ergo cavete viri ne sit sententia discors  
Sensibus in vestris.

Causam talis discordiæ scire quis a-  
vet?

De con-  
cordia &  
discor-  
dia.

vet? nulla alia esse potest, quam nimius amor sui, quem progignit arrogans illa persuasio qua quisq; timidus se plus alijs sapere ac posse existimat. Quippe ex hac tam cænosâ scaturigine manat contemptus aliorum, ex eo contemptu acerrima illa & immortalia primorum odia, invidia, ac dissensiones, vulnera insanabilia. Nec enim quisquam æquis oculis aspicit eum, à quo se suamque qualemcumque sapientiam contemni intelligit, eum potius pessimè odit.

Prudenter itaque existimarunt  
lib. 4. c 2. Romanorum antecessores Illustrissimi, non oportere eos privatis odijs dissidere, qui publicè summâ juncti essent potestate. Ac ob eam causam laudantur merito. Quam diu enim illis fidum erat & altum Reipub. peccatus, Curia, silentiique salubritate munitum & vallatum undique, cuius limen intrantes, privatâ charitate abjecta, publicam in duebant, tam diu ab omni injuria & hostili vi tuti fuere.

Val Max.  
lib. 4. c 2.

Idem lib.  
2. cap. 2.

fuere. Hoc rectius cerni poterit ex Sacramento Consiliariorum seu Senatorum quod præstare tenebantur, quod tale fuit: Juro per Jovem Olympium & Consiliarium, & per Vestam Consultricem, & per Jovem Martialem, & Junonem Martialem, & Minervam Providam, & Victoriâ, & Venerem, & Amicitiam & Concordiam, & Jus atque Fas & Bonam fortunam, aliósque universos Deos ac Deas, me sententiam velle dicere, secundum Leges & Consulta à Civitate approbata, & secundum Decreta Romanorum & Leges, quibus nostra Respub. administratur, in respectu Utilitatis Patriæ, pro viribus meis non aliter, quam is fecit, qui Senator fuit laudatissimus: Patriæ suæ vel Romanæ vel Græcæ Civitatis, neque gratiæ, neque odio neque muneribus patiar servire iudicium consultumve meum: neque privato addicam sententiam meam: neque me ulli parti aut homini adjungam:

Camerat.  
in hor.  
sub. Cent.  
1 P. 158.

gam, sed tantum communi utilitati! aucturus pro viribus Rempub. ita ut Dij, & boni viri volunt, mihi quidem sanctè jurato benè sit, & Dii atque Dæmones faveant, itemq; meis omnibus, cùm amicis, tùm universo generi & familiae, in perjurio vero ne deprehendar unquam. Laudabilem ferunt etiam morem Venetis esse: ubi Senatores quando in Curiā ad consultandum de rebus publicis conveniunt, solent ante vestibulum ejus, omnes privatas imicitias & simultates inter ipsos apud S. Marcū, ut mos loquendi ipsis est, deponere, ut animum ab affectibus in Consilijs publicis liberiorem habere possint. Innuere forte per id volunt, per iniquum esse propter privatas simultates Rempub. in discrimen adducere, nec abutendum occasione ad explenda odia, sed potius Reipub. sunt donādæ privatæ injuriæ. Quod Narses prudenter confirmat in expeditio-

Appian.  
Alex. 1.2.

ditione Gothicæ ad Belisarium & reliquos duces exercitus, dum siceos alloquitur: Quum de publica, ô vi- ri, utilitate consulitur, est quidem ut existimo, utilitas ipsa per se inspi-cienda, nec aliis respectibus vel odii vel amoris pessundanda. Lubet huc Q. Fabii Max. celeberrimi illius Se-natoris Romani dictum adducere: Is Censura duobusque Consulatibus simul gestis expertū se esse dicebat, nihil concordi collegio firmius ad Rempub. tuendam atque propagan-dam. Nec mirum: nam qui fieri pos-test, ut Consiliarii bene de publicâ re consultent, aut consulta ad exi-tum perducant, ubi divortia sunt a-nimorum, quod jam supra declaratū est. Tu igitur, Consiliarie, quisquis in Consilio Principis vel Reipub. le-des, cum animadvertas ex discordia nihil utilitatis redundare, pone tales simultates, pone æmulationes, aut certè sepone.

Magnas hucusque in Consilio nostro

De bello  
Italico  
contra  
Gothos.

Livius  
lib. 10.  
c. 22.

nostro diximus peccates, Avaritiā, Irā, Discordiam, & fermè vel hoc jura-  
mento solo fuisset admissus. Sed quia  
(uti fieri amat) nova semper præ-  
teritis adduntur, & ita quidem addun-  
tur, ut Respub. benè habeat, non æ-  
grè feret hoc Consiliarius (ne &  
nos ipsum ægrè feramus) si juret, se  
non infectum peste, quæ maximarū  
est major. Ecquānam vero illa? Ab-  
horreo à verbo: abhorrere me à ver-  
bo dixi ideo, quia res ipsa maioris est  
momenti. O rem omnium pesti-  
lentissimā Ebrietatem! Detur quæ-  
so venia huic meæ exclamationi. Ex-  
torsit hanc ipsam mihi jus Divinum,  
Naturale, Gentium & Civile. Dete-  
statur eam Jus Divinum, quod per E-  
saiam Prophetam virum Deo gratū  
his verbis nobis est prædicatum: Væ,  
inquit, qui consurgitis mane ad e-  
brietatem seständam, & potandum  
usque ad vesperam, ut vino æstuatis:  
& mox; vae qui potentes estis ad bi-  
bendum vinum & viri fortes ad mi-  
scen-

Ebrieta-  
tis dete-  
statio à  
jure divi-  
no.

Esaiae.  
vers. II.

vers. 22.

scendam ebrietatem. Et Christus  
veritas ipsa inquit: Cavete vobis ne  
corda vestra graventur crapula & e-  
brietate. Hæc enim est flagitorum  
omnium mater, furoris genitrix,  
petulantia magistra, radix criminū,  
origo vitiorum, turbatio capitis, a-  
missio temporis, insania voluntaria,  
subversio sensus, tempestas linguaæ,  
procella corporis, naufragium casti-  
tatis, ignominiosus languor, mentis  
sanæ delibatio, turpitudo morum,  
dederus vita, honestatis infamia, a-  
nimæ & vita corruptela, & mortem  
ante tempus accelerans, teste gra-  
vissimo Theologo Augustino. Hæc  
ubi regnat & dominatur, ibi exultat  
ratio, intellectus obtunditur, consi-  
lia deviant & judicia subvertuntur.  
Accur non? Syracide confirmatore:  
Luxuriosa res vinum, & tumultuo-  
sa ebrietas, quicunque his delecta-  
tur, non erit sapiens. Porro detesta-  
tur Ebrietatem jus Naturale. Illa e-  
nim tales efficit homines, ut neque  
lin-

Luc. 21.  
vers. 34.

Augusti-  
nus in  
libr. ad  
Sacr. vir-  
g. n.

A jure  
Naturali.

Terent.  
Eunuc.  
Act. 4.  
Scen. 5.

Adam  
Contzen  
lib. 3.  
Polit. c.  
14. §. 8.

lingua, neque caput, neque pes, neque ullum corporis membrum rite suum facere queat officium. Per eam omnes sensus præsertim oculi obtusiores redduntur, vox hebetatur, color intermoritur, anhelitus vitiatur, aures, pulmo, stomachus, articuli, intestina, propria habent ex crapula vitia, phrenesis etiam crebra inde erumpit. Quæ relinquo Medicis, qui rationes possunt reddere, quo modo immodica ingurgitatio calorem nativum & humidum radicale exhaustat, & quomodo perturbet ac impeditat concoctionem, unde infinitæ cruditates, & universi per totū corpus sanguinis corruptio, nervorum dissolutio, quomodo hinc existat hydrops, ἀποπλεξία, tremor, & languor membrorum, dolores capitisi gentes. Hoc sane experientia testatur, quod qui per noctem poculis indulxit, die etiam sequentiè lecto vix ante prandii horam surgere queat, & tandem si surgat, ad opus tamen suū

fit

sit inutilis. In fige menti tuæ notabilia exempla. Archesilaus Pritaneus immodico vini haustu periit. Anacreon Tejas Poëta dum aliquanto liberius Baccho indulget, acino uva passæ strangulatus est:

Tandem acino passæ cadiis interceptus ab uvæ.

Theat.  
Ravif.  
Text. lib.  
21. c. 29.

Calius  
lib. antiqu.  
lection.  
c. 30.

Ibidem.  
Quid miserabilius Ennio? qui articulari morbo, quem ex immodico vini usu contraxerat, consumptus est. Quam rem egregiè docet Sennus:

Ennius ipse pater, dum pocula siccata iniqua

Hoc virtio tales fertur meruisse dolores-

Detestatur ebrietatem jugentium. Alphonsus cum interrogaretur cur vinum aqua dilueret? præclarè respondit, ne ebrius siam; indicans grave ac teterimum vitium esse ebrietatem, & omnibus honestatis & sapientiae studiosis tanquam pestem lethiferam fugiendam. Diogenes eam insanæ exercitationem esse dixit. Basilius Magnus ro-

A jure  
Gentil.  
Anton.  
Panorm.  
lib. 2. de  
dict. &  
fact. Al-  
phons.

Stob.  
serm. 32.

gatus

Anton. &  
Max. ser-  
mon. de  
Ebriet.

Ovid. de  
arte amâ-  
di.  
Isocrat.

Lib. 2: de  
instit. an-  
tiquit. &  
Hen.  
Steph in  
Apol. pro  
Hérodô-  
to p. 41.

gatus respondit: Ebrietas dæmon est sponte admissus in animos per voluptatem; mater est malitia, impugnatio virtutis, ex forti timidum facit, è gnaro ignarum, prudentiam abolet. Ubi enim ebrietas dominatur, dominatur libido & omnia vicia, quantumvis atrocia tunc maximè locum habent. Tunc ut Poeta canit:

Et Venus in vinis, ignis in igne furit  
Agnoscit hoc Isocrates, cuius hæc  
sunt in Latinâ versione ad Demoniu-  
cum verba: Mens hominis à vino cor-  
rupta, similis est curribus, qui auri-  
giam amiserunt. Quæ omnia sapiē-  
tissimi Romani benè animadverten-  
tes sexui fæmineo, ut Val. Max. re-  
fert, usu vini interdixerunt, ne scili-  
cet in aliquod dedecus prolaberentur  
fœminæ. Quæcunque enim fœ-  
mina vini usum appetit immodera-  
tè, virtutibus januam claudit, & de-  
licitis aperit. Quid consecutus est  
Zeno, qui populorum ludibrio vi-  
vus vino, deinde terra sepullus est.

Men-

Mente omnio per ebrietatem abalie-  
nabatur, exprobrante plebe; Zen-  
o exurge, iterum potasti? Cumque id  
crebrò fieret, Ariadna odio tot vi-  
tiorum semivivum in sepulchrum  
imperatorium conjici iussit, idque  
ingenti saxo occludi, ubi cum ad se  
rediisset, ingenti lamentatione ac  
boatu ejulans, timore Ariadnæ ne-  
glectus, mori coactus est. Nec dis-  
familis Michaëlis cujusdam exitus,  
quem mero obrutum ac profundissi-  
mo somno oppressum, amputatis  
deinde manibus, quod præ ebrietate  
fugere non posset, Basilius miles trans-  
fixit, & eductis ense visceribus e-  
brietatem vitamque solvit. Quare  
Solon legem tulit in ebrios, quorum  
delicta morte punivit. Pittacus My-  
tilenæus similiter legem promulga-  
ri & temulentos, si quid deliquis-  
sent duplici pœnâ puniri curavit.  
Detestatur ebrietatem jus Civile, in-  
dicans, quod vix ulla Respub. diu le-  
steterit, quæ ebriosorum consilio ge-

Contiñue  
in Pol.  
lib. 3. c.  
14 S. 8. ex  
Zonara.  
an. 3.

Idem.

Fran. Pe-  
trar lib. 6.  
tit. 20. ex  
Laertio.

Laertius  
lib. 1.

Ius Civi-  
lia.

I sta

Richt.  
xionis.

Lib. 12 de  
præpara-  
tione E-  
vangel. c.

17.

Epiſt. s.  
lib. i.

sta est, vix ulla conciderit, quam non ebriosi everterint: vix ulla non flouerit, quæ à fiscis ac sobrijs hominibus administraretur. Non sine manifesta causa memorat Eusebius Pamphilus Carthaginiensem legem, quâ cautum ut nullus militiæ tempore vinum bibat, nec in Caſtris, nec in Civitate, nec concedendum unquam magistratibus, tempore quo Rempub. gubernant vino uti. Sanè præclarum institutum: ſentiebant fortem ex vinolentis plus detrimenti, quam utilitatis venire Reipublicæ. Quid non ebrietas deſignat? canit Horatius; nonne opera recludit? Nonne arcanorum, atque adeo etiam propriæ turpitudinis est revelatrix. Nonne in vi- no Bibones, loquuntur liberiūs, ſu- ſplicantur temere, dicunt etiam re- ſta incommodè, reſtè diſta perpe- ram accipiunt, pungunt acrius, fe- runt minus? nonne quod nihil eſt,

ali-

Ep. 83.

ali quid; quod minimum, id videtur maximum: itur ad maledictum, ad convitium, ad contumeliam, incan- descent, omnes animi habens la- xant? nonne vinolenti inter ſe invi- cem pugnis cædunt, ſunt pro armis ſcyphi? nonne etiam cominus con- grediuntur ensibus? nonne petitur obvius quisquis, vulnera imponuntur chariſſimis ſodalium? nonne ho- mines ebrii omnia consilia vel Rei- pub. vel Principiſ arcana, cum ma- gna & publica & privata perſep- pernicie produnt? Quemadmodum, ut cum Seneca loquar, muſto dolia ipſa rūpuntur, ita omne quod in imo jacet abditum, effertur & prodiſ in medium. Onerati mero quemadmodum non continent cibum vi- no redundant, ita & ſecretum, quod ſuum eſt, & alienum pariter effun- dunt. Ut paucis ſit planum quod in- digito, nemo dubitat tales inido- neos cenſeri poſſe, ad officia, ad con-

I 2

ful-

Dio lib.  
51.

sultandum & dispiciendum , quid honestum, quid utile, vel ad exequē-  
dum, quod alijs deliberatum & de-  
cretum est, vel ad legationes ritē ob-  
eundas. Sicubi enim unquam dili-  
genter prospiciendum & à temulen-  
tiā cavendum , id ipsum in Legatio-  
ne observandum potissimum. Repe-  
riuntur quippe passim tales , qui  
cum arcana expiscari non possunt,  
per pocula tentāt. Exemplo sit nobis  
M. Crassus apud Romanos , qui  
bello contra Dacos & Bastanas ad-  
missis eorum Legatis eos retinuit,  
postridiē responfurus, liberaliter-  
que admodum tractavit , vinōque  
inebriavit : quo factum est, ut omnia  
eorum consilia detexerit. Consi-  
mili arte tradunt olim usum Bono-  
sum Imperatorem , quem sāpē di-  
xisse ferunt, non ut viveret se natum  
esse, sed ut biberet. Is igitur quoties  
barbarorum legati , undecunque  
gentium ad eum venissent, propina-  
to vino ebrios eos reddebat ; itaque

25

ab his per vinum quod vellet agno-  
scere, ipse quantum bibisset, semi-  
per securus & sobrius & adhuc in  
vino sagacior. Longe contra absi-  
milis fuit Zeno Atheniensis , qui ad  
cœnam à quibusdam Legatis invi-  
tatus, non tantum à nimio vini usu  
abstinuit, verum etiam ipso tempore  
cœnæ conticuit, quibus mirantibus  
atque sciscitantibus ecquid Princi-  
pi suo de ipso referrent, respondisse  
fertur: vidisse Athenis senem , qui  
inter pocula nosset tacere : indicans  
necessariam esse in fœcundis calici-  
bus taciturnitatē, qui ut Horatius  
inquit, neminem non fecere disertū.  
Fuge igitur tu etiam Consiliarie hoc  
monstrū & si nō convivia; certe mu-  
lentiam cave. Vinum per se sumtū,  
non dissuadendū puto, nec est inten-  
tionis meæ, ut parum aut nihil bi-  
bas, quia à Deo datum est nobis ad  
jucunditatem, & non ad ebrietatē,  
sed hoc suadendum duxi, ne plus  
quam opus est bibas.

I 3

Sed

Laertius  
in Zenon.

Proverb.  
31 v. 34.

Sed quo tandem feror? Cur pa-  
tientiâ vestrâ in audiendo, benevo-  
lentiâ in judicando, constantiâ in  
expectando abutor? Satis, opinor, au-  
res vestræ, defatigatae sunt, vel hoc, si  
non alio nomine, quod quæ augu-  
stissimi hujus confessus dignitas &  
authoritas postulat, non proposue-  
tim. Verum enim vero, ut ab ini-  
tio anticipavi, non meæ facultatis,  
non mei judicij, non meæ ætatis est,  
omnes in hoc amœnissimo Consili-  
arij horto flores decerpere. Quin  
imò si possem, non vellem, imò nec  
deberem. Vereor enim & certè ve-  
reor plus satis, Auditores ætatem  
observandi, colendi, amandi, suo o-  
lim tempore prodituros, qui nescio  
cujus vel arrogantiæ, vel ostentatio-  
nis vel ( si mitius mecum egerint) in  
consideratæ confidentiæ reum  
me sint postulaturi: præsertim cum  
variorum reperiantur ingenia varia,  
imprimis eorum, quales describit

Eras.

Erasmus Roterodamus, qui contem-  
nere potius, quam amare studia, &  
exercitia Academica publica, vel ex-  
ignorantia, velex invidia, leviden-  
tia & puerilia appellitare solent.  
Sciant autem scioli tales, si qui sunt,  
quod non spero, me ab his & simili-  
bus ineptijs morum semper abhor-  
tuuisse, & hunc meum conatum sa-  
pientibus solum & studiorum a-  
mantibus proposuisse. Quod res est  
loquar: Quod in aliis Universitatib-  
us & literarum officinis, mihi vitio  
datum non fuit, ut studiorum qua-  
liumcunque meorum qualemque  
specimen ederem, illud in hac cele-  
berrima Europæ Academia, nullum  
vel reprehensionis aculeum, vel in-  
vidiæ insidias, vel irrisiōnis occasio-  
nem mihi præbiturum expectabo.  
Non enim novum vel insolens est,  
publicè in Amplissimo doctorum &  
nobiliss. virorum confessu, exerciti-  
j gratia de certâ materiâ perorare.

I 4

Ete-

In episto-  
lis lib. 4.  
ep. 6.

Etenim videmus hoc ipsum à prisco seculo semper multos observasse: & observari adhucdum. Olim enim ex ipso-hoc loco Illustriss. Generosi, Nobilissimi ac Præstantissimi perorare, quorum documenta in orationibus Junij extant quam plura. Reperiuntur certè ibi orationes aliquot habitæ ab Illustrissimo Principe ac Domino, Domino Georgio Marchione Brandenburgico, Prussiæ, Stetini & Pomeraniæ Duce; juxta etiam ab Illustriss. Principe & Domino, Domino Carolo Duce Brunsvicensi & Lüneburgensi; præterea ab Illustriss. Comite Raphaële de Leschno ut & Illustrissimo Comite Thurocziensi Petro de Reva; insuper Generosissimo Barone, Sigismundo Balasi de Gyarmath & aliis quam plurimis Heroibus, quos commemorare supersedeo. Nec desunt aliarum Academiarum exempla, quæ ex consultationibus Læ-

fij

fij petenda sunt. Rogo itaque, quâ possum observantia, omnes omnij ordinum Auditores, ut quod ex infinitis Consiliarij requisitis paucula hæc selegerim, non ægrè ferant. Dixi enim, cætera in aliud tempus reservaturus, tantum de Consiliarij præfidiis, partim insitis, partim acquisitis; nempe ingenio, formâ corporis, ætate, doctrinâ, virtutibus & vitijs: verbo, dixi de lineamentis naturæ, doctrinæ, & virtutis morum. Atque hæc imago, hæc figura sit boni Consiliarij. Quia vero per bonos Consiliarios Principes aliquin stupidi, & fatui, sunt sapientiores & prudentiores, ideo nulla res est, quæ ardenteribus votis à Principibus optari debeat, quam ut Consiliarios nanciscantur, his, quas dixi, virtutibus præditos. Per tales enim, hoc confirmare ausim, pacis & belli tempore erunt semper domini, amabuntur à suis subditis, ti-

I

me-

mebuntur ab adversariis, & ab omnibus celebrabuntur, posteris etiam suis firmum & diuturnum relinquunt imperium. Ego interim quoad vixero, duo illa D E u M pre-cabor, unum, ut tales Principibus & Rebuspub. donet Consiliarios, quales jam dixi: alterum, ut si tales non sint, tandem aliquando evadant tales, & omnibus perturbationibus animi semotis, salutaribus consiliis suis, Reipub. & Principi suo sint emolumento. Adeste & vos, qui una tecum aliquando Reipub. præesse, in hac luce vivere, vobis ipsis honori, ornamento parentibus, aliisque sanguine junctis esse annitimi: adesse inquam, & eò omnes cogitationes & studia vestra dirigite, ut aliquando ejus Consiliarii, qualem descriptum audivistis personam & munus, pro Dei gloria, pro Ecclesiæ & patriæ emolumento tueri possitis ac valeatis. Tandem  
quia

quia Gratitudini ab omnibus cordatis primæ à condito mundo usque ad hoc momentum relatæ sunt gratiæ: itaque & ego Magnifico Domino Rectori, Viris Reverendis, Ampliss. Experientissimis, Clariss. Ecclesiæ & Academiæ columnis, Professoribus & Præceptoribus fidelissimis, non solū quod nunc Magnifica, Amplissima, Honorifica sua præsentia favorem, studium, benevolentiam testari voluerunt, sed etiam qued me, nullis meis meritis ab eo tempore à quo hic feliciter vixi, conversatione, bibliothecâ, informatione fideli, consilio, juverint, & juvent ex animo; reverenter, studiosè, officiosè, gratias non quas debeo, sed quas possum ago maximas, meaque singulis pro dignitate studia, officia, quâ decet animi observantia, obedientia, reverentia, singulari promptitudine ac benivolentia deferō; & hunc favorem, quem vo-

bis erga peregrinos innatum esse,  
multis argumentis deprehendi,

Dum memor ipse mei dum Spiritus hos re-  
git artus.


me conservaturum & aliis natio-  
nibus commendaturum, defero,

polliceor, confirmo. Deus vos  
omnes salvos velit,

Dixi.

F I N I S.





E 1 P

I 1

I 1

I 1